



879.

6

EX HISTORIA ROMANA  
DE  
HEREDITATE  
SACRORVM PRIVATORVM

1738, 26.

---

CONSENSV  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
D. XVI. APRIL. M DCC XXXVIII.  
H. L. Q. C. PVBLICE DISPVTABVNT  
PRAESES  
M. CAROLVS CHRISTIANVS  
W O O G  
ET RESPONDENS  
IOANNES FRIDERICVS WVNSCHOLD  
CVRIA - BARVTHINVS  
S. S. TH. C.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

l l

EX HISTORIA ROMANA

DE

HEREDITATE

SACRORVM PRIVATORVM

—————

CONTENS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA IURIS

D. XVI ALII M. DCC. LXXVIIII

—————

TRACTES

M. CAROLVS CHRISTIANVS

W O O G

ET RESPONDENS

IOANNES FRIDERICVS WUNSCHOLD

CURIA - HANNOVERIA

MDCCCLXXVIIII

L I P S I A E

EX OFFICINA LANTERNA





PARENTI OPTIMO  
ATQVE  
DE SE. EGREGIE. MERENTI  
DOMINO  
M. MAVRITIO. CAROLO  
CHRISTIANO  
WOOG

V. D. M. ET. AD. AEDEM. SANCTAE. CRVCIS  
IN. REGIA. DRESDENSI  
ARCHIDIACONO

EXIGVAS. HASCE  
LABORVM. SVORVM. PRIMITIAS  
IN. PIAE. GRATAEQVE. MENTIS. TESSERAM  
PRO. CVMVLATISSIMIS. HVCVSQVE  
EXHIBITIS. BENEFICIIS  
EA. QVAE. FILIVM. DECET. OBSERVANTIA  
SACRAS. ESSE. IVBET  
ET. PRO. EIVS. INCOLVMITATE  
VOTA. NVNCVPAT. ARDENTISSIMA  
SEQVE  
RESQVE. SVAS  
PATERNO. EIVS. AFFECTVI  
IN. POSTERYM. QVOQVE. TRADIT

FILIVS. OBSEQVIOSISSIMVS  
CAROLVS. CHRISTIANVS. WOOG





## CONSPECTVS.

*Institutum. §. I. Nomen et diuisio sacrorum. Alia erant publica, §. II. Alia priuata. §. III. De sacris familiaribus et gentilitiis in specie. §. IV. Sacrorum priuatorum conseruatio erat mandata. §. V. Ratio redditur cur conseruari debebant. §. VI. Ex Pontificum constitutionibus factum, vt sacra cum hereditate coniungerentur. §. VII. Sacrorum priuatorum hereditas ad legitimos heredes transibat. §. VIII. Ad legatarios. §. IX. Ad eos, qui suscepissent plurimum. §. X. Ad creditores, quibus obaerati addicti erant. §. XI. Ad debitores. §. XII. In adoptione sacrorum priuatorum ratio habebatur. §. XIII. Item in arrogatione. §. XIV. Romae tantum sacra priuata sequebantur. §. XV. Hereditas cum sacris erat onerosa. Quid sine sacris hereditas? §. XVI. De modis hereditatem a sacris liberandi. §. XVII. Conclusio. §. XVIII.*

### §. I.

**D**ici vix potest quantam rerum sacrarum curam *Institutum.* et sollicitudinem habuerint Graeci pariter ac Romani veteres, diuiniorem licet doctrinae expertes. Quanquam autem sedula illorum cultus diuini administratio a superstitionis culpa minime liberari potest; egregium tamen multis, veriora quidem e sacro codice, edoctis, aut cultum Summo Numini debitum, aut profus non, aut negligentius sane, exercentibus, reliquerunt, quod imitentur,



## DE HEREDITATE

tentur, exemplum. In Sacris enim rite constituendis non tantum diligentissime omnia accuratiori animi lance ponderabant, sed et in id potissimum sedulo incumbabant, ut sacrorum rite constitutorum quam accuratissimam, et ne in minimis quidem a praescriptis ceremoniis recedentem haberent rationem. Vno ore hoc profitentur omnes, qui eorum sacra magnis voluminibus exposuerunt, quorum amplam recognitionem Beatus FABRICIVS \*) suppeditavit. Immo nec in his quidem sese continuit laudabilis illorum circa sacra feruor; sed omni studio id quoque curarunt, ut sacra perpetuo conser-

\*) In Bibliographia antiquaria Capp. VIII. §. 15. pag. 253. IX. §. 14-16. p. 292. X. §. 9-13. p. 320. XI. §. 6. 7. p. 352. XII. 8. 9. p. 436. XIII. §. 8-9. p. 452. seqq. Ex praecipuis quosdam tantum nominare placet: Lilius Gregorius GYRALDVM, in Historiae Deorum syntagmatibus XVII. Basil. 1548. fol. et Tom. I. Operum LugdB. 1696. Gerh. Ioh. VOSSIVM, in opere de theologia gentili et physiologia Christiana, siue de origine ac progressu idololatriae, cuius libri quatuor primi prodierunt Amst. 1642. in 4to. totum vero egregium opus in libros IX diuisum Amst. 1668. in fol. et Tomo V. Opp. Vossii. Ant. van DALE, in diss. de origine ac progressu idololatriae ac superstitionum. Amst. 1696. in 4. Pet. IVRIEV, in histoire critique des dogmes et des cultes Amst. 1704. 4to. Guil. du CHOUËL, discours de la religion des anciens Romains, a Lyon 1556.

fol. Iac. GVTherivm, de veteri iure pontificio, Paris. 1612. 4to et Tom. V. Thesauri GRAEVIANI. Ioh. Guil. STVCKIVM, in descriptione sacrorum, sacrificiorumque gentilium, LugdB. 1695. fol. Paul. MERVLAM, de sacrificiis et sacerdotibus Rom, qui tractat. in eius operibus variis posthumis extant, quae LugdB. 1684. in. 4to. prodierunt. Graecorum ceremonias sacras sigillatim B. Io. Gottfr. LACEMACHER in antiquit. graecorum Sacris, Helmst. 1734. 8. exposuit, in quibus ea suppleuit, quae de religione Graecorum omiserat eruditissimus Anglus ac Venerandus nunc Cantuariensium Praesul, Io. POTTERVS, in archaeologia graeca, quae anglice bis Oxon. 1699. et 1706. 2. Vol. 8. Latine vero Lugd. Batt. 1702. fol. (quae editio Tomo XII. Thesauri GRONOVIANI adiuncta est) et nuper admodum 1734 Venetiis iterum tomis duobus 4. mai. lucem vidit.



conseruarentur, nec vlla temporis iniuria, aut obliuione, aut negligentia intermitterentur. Summa Pontificis Maximi haec erat cura, vt prospiceret, quo omnia constituta sacra et annua quaeuis sacrificia ad normas praescriptas recte et stato quotannis tempore peragerentur. De publicorum autem sacrorum non tantum conseruatione sollicitos se se exhibuerunt veteres, verum etiam ne domesticas quidem celebritates, ex religione priuata institutas, interire fuerunt passi, sed curam quoque adhibuerunt, vt sacra etiam priuata perpetuo manerent, atque familiis proderentur. Nihil enim prius, nihil antiquius sanctiusque duxerunt, quam vt sacra, siue publica, siue priuata, semel rite constituta, perpetuo conseruarentur. Hinc cogitate priuata sacra cum hereditate pecuniae coniunxerunt, et diligentissime id obseruarunt, vt illa ad eos semper transirent, ad quos pecuniae et possessionum hereditas perueniret. Hoc ipsum est, quod vltius exponendum mihi summi. Dicam enim quaedam de hereditate sacrorum priuatorum veterum Romanorum, quantum in tam obscura antiquitatis memoria, pro virium exiguitate, fieri abs me poterit. Ordine vt procedatur, de Romanorum priuatis primum sacris pauca quaedam proferam, deinde vero monstrabo, quibus rationibus illorum hereditas fuerit secuta heredes. Benignum autem Lectorem maiorem in modum precor atque obtestor, vt tenuem huncce laborem, et ea quae minus accurate dicta inueniet, aequi bonique consulat.

## §. II.

De priuatis itaque Romanorum sacris acturo, opus erit, *Nomen et di-* in ipsam sacri notionem ante omnia inquirere. Notat autem *uisio sacro-* sacrum, siue a Thuscis hoc vocabulum cum IUL. SCALIGERUM. *Alia* RO<sup>a</sup>) acceptum putes, siue illud ab *ayios* deduxeris, quod *erant publi-* magno GERH. IOAN. VOSSIO<sup>b</sup>) placet, omne id, quod ad religionem pertinet, Deoque dicatum est, et maxime nomine publi-

a) Exercit. CVII. et CCCXXV.  
Sectione. XIII.

b) In Etymologico linguae latinae, voce Sacer. pag. 511.



publico. Sic apud MACROBIUM <sup>c)</sup> Trebatius Ictus, Sacrum perfamiliaris, quemadmodum eius epistolae ostendunt, Sacrum vocat, *quidquid erat, quod Deorum haberetur.* Inde inter sacra habebantur templa, delubra et simulacra Deorum, item sacri montes, luci, ludii, homines, <sup>d)</sup> dona Diis oblata, et id genus alia, quae publico instituto Diis consecrabantur. Strictè itaque loquendo, id sacrum dici non potest, quod Diis priuata tantum auctoritate destinatum fuit, minus autem publi-

c) Lib. III. Saturnal. Cap. III. pag. 302. Edit. Parisien. quae 1585. in 8. prodit.

d) Homo sacer est is, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas est eum immolare, sed qui occidit parricidii non damnatur, nam lege tribunitia prima cauetur: SI QVIS. EVM. QVI. EO. PLEBISCITO. SACER. SIT. OCCIDERIT. PARRICIDA. NE. SIT. ex quo quiuis homo malus, atque improbus sacer appellari solet. Ita Sext. Pompei. FESTVS habet, *de verborum significatione* Lib. XVII. voce, *sacer mons*, pag. 483. Edit. Andreae DACERII, quae in vsum Delphini Lut. Paris. 1681. in 4. mai. prodit. Vbi omnino videnda sunt ea, quae eruditissime DACERIVS not. I. obseruauit. Legis caput sic fuisse refert: QVEL ALITER. FAXIT. CVM. PECVNIA. FAMILIAQVE. SACER. ESTOD. SEL. QVIS. EM. OCCISIT. PARRICEIDA. NEG. ESTOD. quod ad verbum DION. HALICARN. etiam habet. *ἐὰν δὲ τις*

*τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἔξάνιστος ἔσῃ, καὶ τὰ χρήματα αὐτῆ Δήμετος* (Deae frugum, i. e. Cereris) *ἱερά. καὶ ὁ κτείνος τινὸς τῶν ταῦτα ἐργασμένων, Φόνος καὶ θάρος ἔσῃ.* Eodem redit, quando his quandoque verbis lex concepta est: Si quis eum occiderit velit SE. FRAUDE. SVA. LICET. O. h. e. sine fraude sua, et sine capitali noxa, quod SCALIGER ibidem obseruauit. De hac poena DIONYSIVS HALICARN. adhuc videndus est, qui Lib. II. Antiq. Rom. pag. 84. Edit. Frid. SYLBVRGII ita scripsit: *ἔθος γὰρ Ρωμαίοις, ὅσους ἔβδοντο ἡπὸν τιθεμένων, τὰ τέτων σώματα θεῶν ἐτάδῃ τινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατανομάζεν.* i. e. Mos erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora deuouere Deo cuiquam, praecipue Diis inferis. HOTTOMANNVS in leg. XII. tab. fragmentis p. 112. Edit. Lugd. 1564. in 8uo. et MERVLA, de legibus Roman. pag. 32. et 35, legis hac poena muni-



SACRORVM PRIVATORVM.

publica. Hinc FESTVS <sup>e</sup>) etiam negat, aliquid earum rerum, quod priuati suae religionis causa Diis dedicauerint ex iure pontificum sacrum posse appellari. Distinguunt itaque philologi inter sacrum, sanctum, et religiosum, ita vt *sacrum* dicant diuinum et Deo dicatum, *sanctum*, inuiolatum, quod sanctione quadam ab hominum iniuria munitum est, vt sanctae leges, portae, sancti muri, *religiosum*, venerandum quod a communi hominum usu semotum, et sanctitate quadam reuerendum est, vt religiosa sepulchra et monumenta, in quae mortuus reconditus fuit, quemadmodum legere est apud AVSON. POPMAM. <sup>f</sup>) Nos inprimis per sacra intelligimus festa et sacrificia, quae Romani cultus loco Diis exhibebant. Haec in varias classes diuisa inuenies, si quidem GYRALDVM, STVCKIVM, MERVLAM <sup>g</sup>) aliosque euoluere placuerit. Communiss-

munissimam mentionem faciunt, quae ita praecipit: SEL. PATRONOS CLIENTI. FRAVDEM. FAXIT SACER. ESTOD. conf. Neue Acerra philologica, oder gründliche Nachricht aus der Philologie und denen Römischen und Griechischen Antiquitäten, Part. VII. num. XII. pag. 169. not. 29.

e) De verborum significatione Lib. XVII. voce sacer mons pag. 484. Quod autem priuati suae religionis causa aliquid earum rerum deo dedicerit, id pontifices Romani non existimare sacrum. At si quae sacra priuata suscepta sunt, quae ex instituto pontificum, stato die aut certo loco facienda sunt, ea sacra appellari tanquam sacrificium. Ille locus, ubi ea sacra priuata facienda sunt, vix videtur, sacer esse.

confer. IVSTINIAN. in Instit. Lib. II. Cap. I. §. 8. Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum.

f) de differentiis verborum Lib. IV. pag. 221. seqq. conf. FESTVM de verbor. signif. Lib. XVI. voce religiosus pag. 449. et Lib. XVII. v. sanctum pag. 496. Jac. GVTHERIVM de veteri iure Pontif. Lib. III. Cap. I. pag. III. Tom. V. Thes. GRAEVIANI. Io. Gottl. HEINECCIUM antiquit. Rom. ad Instit. Lib. II. Tit. I. §. 2. seqq. pag. 410. seqq. et ea, quae GRAEVIUS ad Cic. orat. pro domo sua, quae Tom. II. P. II. orationum ex recensione eius extat Cap. XLVIII. pag. 488.

g) MERVLA in libro de sacrificiis Romanorum, qui in eius operi-



munissima tamen, quae vel maxime obseruari a nobis debet, haec est sacrorum diuisio, qua in *publica* et *priuata* diuiduntur. SIC DIONYSIVS HALICARNASS. ait: διακείμενοι διχῆ τοῦ ἱεροῦ, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν κοινὰ πᾶσι πάντες καὶ πολιτικά, τὰ δὲ συγγενικά κ. τ. λ. i. e. Cumque duo sint sacrorum genera, alia publica, alia gentilitia etc. Publica sacra a priuatis sine potissimum et sumtibus differebant, illa enim pro salute totius populi et ex aerario publico, haec vero pro salute tantum familiae cuiusdam instituebantur. Ita docet FESTVS: <sup>h)</sup>  
Publi-

operibus variis posthumis, Lugd. B. 1684. in 4. editis, tractatus in simul de Sacerdotibus, Legibus, Comitibus et praemiis, quae militiam sequebantur, Romanorum exhibentibus primo loco extat, Capite statim primo, sequentem in modum, quem in compendio referam, Romanorum sacra dispefcuit, ita vt alia dicat *Domestica*, h. e. illis propria et domi nata, nec aliunde petita, alia *peregrina*, ab aliis gentibus accepta, quae, aut euocatis diis in oppugnandis vrbibus, aut ob religiones quasdam per pacem Romam fuerint collata, qualia erant Cereris ex Graecia, Matris Magnae ex Phrygia, Aesculapii ex Epidauro Romanam allata sacra, quae colebantur eorum more, a quibus erant accepta. FESTVS Lib. XVII. pag. 344. *Domestica* erant vel *manifesta*, quae palam et omnium ciuium scitu peragebantur, vel *seclusa*, quae graeci mysteria vocabant, et mox initiatio-

nis, mox oportanea sacra passim dicuntur. CICERO de Legibus II, 14. FESTVS Lib. XVII, pag. 511. quo in numero erant sacra Bonae Deae, quae a foeminis tantum peragebantur. *Manifesta* erant vel *incerti temporis*, quae singulis quidem annis non constituto tamen die peragenda erant, vt Paganalia, Compitalia et similia, quae occasione flagitante, v. c. ob victoriam, indicebantur; vel *Stata*, quae statis et certis diebus, quos Kalendaria notabant, celebrabantur; dicta etiam solemnia anniuersaria, annua. FESTVS Lib. XVII. p. 543. Virgil. Aeneid. Lib. VIII. v. 173. *Stata* porro erant vel *publica* s. popularia, quae pro populo fiebant, vel *priuata*, de quibus dicendum in sequentibus.

g) Antiquit. Roman. Lib. II. pag. 125. Edit. SYLBVRGII.

h) de verborum significat. Lib. XIV, pag. 403.



Publica, inquam, sacra, quae publico sumtu pro populo sunt, quaeque pro montibus, pagis, curiis, sacellis. at privata, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus sunt. Quia pro populo fiebant publica sacra, popularia etiam, eodem FESTO<sup>1)</sup> teste, fuerunt appellata. Sic enim ille: *Popularia sacra sunt, ut ait Labeo, quae omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt, ut fornacalia, parilia, laralia, porca praecidanea.* Porro et Damia<sup>k)</sup> dicuntur, a graeco vocabulo δημος publicus, pro quo Dorice est δαίμος, ut pro δημος Dores δαίμος dicere amant. Publica itaque sacra, siue popularia, siue damia ea dixeris, sacrae erant celebritates totius populi, quando Diis feriae, sacrificia et ludi publico nomine et publico sumtu exhibe-

B 2

hibe-

1) ibidem pag. 363.

k) Damium sacrificium proprie erat id, quod in operto in honorem Bonae Deae fiebat. PAVLVS apud FESTVM de verbor. signif. Lib. V. pag. 113. An autem a contrarietate, quod hoc sacrificium minime publicum esset, ita dictum sit, an vero minus, disputatum fuit. PAVLVS c. l. putat δαίμων δημοσιός ita fuisse appellatum, quod minime esset δημοσιόν, e. publicum. ALEXAND. AB ALEXANDRO Genial. Dierum Lib. VI. Cap. VIII. pag. 508. Tom. II. Opp. quae Lugd. B. 1673. in duobus vol. in 8. prodierunt. § TVCKIVS de Sacrif. pag. 16. GYRALDVS Deor. Syntagm. IV. p. 147. Opp. T. I. Onuphr. PAMVINIVS de ciuitate Rom. Cap. 37. aliique consentiunt. Ast fallere videntur, cum potius ita dictum sit, quod pro populo fieret. CICERO de Ha-

resp. resp. cap. XVII. Sacrificium bonae Deae per virgines vestales pro populo, seu pro salute populi Romani fiebat, Idem in Epist. ad Atticum Lib. I. XI. Inde de hoc etiam sacrificio IUVENALIS Satyr. IX. v. 177.

*Pro populo faciens quantum  
Lauisella bibebat.*

Damia itaque sacra popularia, publica sunt, quae pro populo fiebant, pro quo quam maxime illud bonae Deae sacrum instituebatur. In operto autem factum fuisse dicitur, quod feminis tantum interesse liceret. Confer MERVLAM de Sacrif. Rom. Cap. I. pag. 4. qui acriter hanc ob causam in PAVLVM inuehitur, GYRALDVS Synt. Deor. I. T. I. Op. p. 67. Damiae et Auxesiae deorum duarum, quae in Epidauri peculiari religione cultae fuerint, mentionem facit, quem vide.



hibebantur. Tam necessarium enim videbatur, sacra publica sumptibus publicis peragi, vt Theodosio M. negante, se impensas amplius in sacrificia Romanorum publica facturum, responderet Senatus: *μη κατά δεσμὸν πράττεσθαι τὰ τελέμεια, μη δημοσίᾳ τῷ δαπανήματος ὄντος*, non rite fieri sacrificia nisi publico fierent sumtu. Quod ZOSIMVS<sup>1)</sup> memoriae tradidit.

## §. III.

*Alia priuata.* Priuata itaque sacra, quod ex oppositione statim patet, ista sunt, quae singulorum aut familiae cuiusdam impensis peragebantur, nec pro salute totius populi, sed eorum tantum, qui ea exhibebant, suscipiebantur. Ita enim apud eundem FESTVM<sup>a)</sup> dicuntur, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fierent. De eiusmodi sacris priuatis CICERONI<sup>b)</sup> sermo est, quando inquit: *Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuscuiusque ciuium? Hic arae sunt; hic foci; hic Dii Penates; hic sacra, religiones, ceremoniae continentur.* Complectebantur autem sacra priuata Larium<sup>c)</sup> non tantum, Penatium,<sup>d)</sup> Geniorum,<sup>e)</sup> Manium ac Lemu-

1) In Historia noua, Lib. IV. Cap. LIX. pag. 496. Edit. CELLARIJ, quae Cizae 1679. in suo prodiit.

a) de verb. sign. Lib. XIV. p. 403.

b) in orat. pro domo Cap. XLI. p. 479. Tom. II. P. II. Edit. Graeu.

c) Lares fuerunt dii domestici, qui priuatorum domibus praeesse credebantur, hinc et lares pro aedibus ipsis ponuntur. HOR. Sat. I, 2, 56. MARTIAL. Epigr. Lib. I. 77, 1. Effigies maiorum vel virorum celebriorum, quas in larario collocabant, hoc nomine veniebant potissimum. Sic LAMPRIDIVS in vita Alexandri Seueri Cap. XXIX. et XXXII. pag. 123 sq. col-

lectionis Historiae august. scriptor. VI. quae Lutet. 1620. in fol. prodiit, de eo scribit, hunc ei viuendi usum fuisse, primum, si facultas esset, i. e. si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in larario suo, (in quo diuos principes, sed optimos electos, et animas sanctiores, in quibus et Apollonium, et quantum scriptor suorum temporum dicit, CHRISTVM, Abraham et Orpheim et huiuscemodi deos habebat, ac maiorum effigies) eum rem diuinam fecisse. MONTFAUCON antiquit. Tom. I. Part. 2. Lib. II. Cap. 13. p. 322. descripsit larem, qui est seueri vultu, vestitus tunica, et catellum mani-



Lemurum cultum domesticum, qui in larario, penetrali et intima domus parte communissime peragebatur, quoties res vel incertae ac tristes, vel prosperae accidissent; ut iis placarentur, in his autem grati animi testandi causa honorarentur; Sed

manibus tenet, cuius caput pelle canina opertum est, auribus ante dependentibus. Gemini alias semper comparent in monumentis, sedentes, fere nudi, cum pelle, ambo tenent sinistra hastam, et alter cani blanditur. Focus ipsis sacer erat, ideoque nigri vocantur a PRUDENT. contra Symmach. I, 204. Floribus et fertis ornabantur, et thure ac vino placabantur. PLAVT. Aulul. Act. II. Sc. VIII, v. 15. et in prologo v. 23. ubi ipse lar familiaris ita loquitur:

--- ea mihi quotidie

*Aut thure aut vino aut aliqui  
semper supplicat:*

*Dat mihi coronas.*

Frugum et ciborum primitiae ipsis offerebantur, porcusque immolabatur, HORAT. Lib. III. od. 23. v. 3. Ephebi anno aetatis XIV. bullas suas ipsis suspendebant, PERS. Sat. V, v. 31. et manu missi catenas. HORAT. Sat. Lib. I. V, v. 65. Lares et publice in compitalibus colebantur. Vid. plura ap. FAES, in not. ad Gyrard. de sepultura p. 698. Opp. Tom. I. et ap. CRENUM. Animad. Part. IX. p. 69.

d) A penu ita dicti sunt, vel ut VOSSIVS in etymol. tradit a פני

quia colebantur in penetralibus, h. e. penitis aedibus CIC. Lib. II. de Nat. Deorum. cap. 27. Ex diis magnis, vel ex maioribus defunctis, vel ex heroibus eligebantur, ut regionibus, aut urbibus, aut familiis praesent. In eo ipso itaque differre videntur HEINECCIUS Ant. Rom. ad Inst. Lib. I. tit. X. p. 145. a laribus, quod penates cuiusvis familiae proprii fuerint, lares autem communes omnibus. Saepissime tamen pro iisdem ponuntur, ita ut difficile admodum sit eorum differentiam monstrare, hinc NIEVPOORT in Rom. Sect. IV. Cap. I. §. 17. pag. 286. eos etiam coniunxit. Eorum saepissime amplam mentionem fecit CIC. in orat. pro Sextio Cap. XX. pro Sylla Cap. XXX. pro domo Cap. LVII. DION. HAL. Lib. I. pag. 54. etc. Penatibus ignem aiebant. VIRGIL. Aen. II, 514. Eorum nomina et sacra reticebantur, ne euocari possent. Caeteroquin eodem fere modo ac lares, repraesentantur in numis. MONTFAUCON Antiq. Tom. I. P. 2. L. 2. cap. 14. p. 325.

e) Genii, qui Graecis θεοί γεννηθῆναι, ἐγγασθῆναι, δαίμονες, μυσαργαγοί

B 3



Sed et singulorum hominum ferias, vt, quod MACROBIUS ait, natalium fulgurumque <sup>f)</sup> susceptiones, item funerum, expiationum, nuptiarum, et eius generis alia, quae omnia recensere minus necesse, quoniam nota, et nimis prolixum foret, ob dicendorum copiam. Eiusmodi sacrorum priuatorum rationes prae ceteris explicauit GVTHERIVS <sup>g)</sup> GYRAL-

DVS

*γάρτοι τῆ βίῃ* dicuntur, a gignendo nomen acceperunt, vel quia omnium rerum gignendarum vim habuerint, vel quia curauerint, vt homines gignerentur, ac genitos susceperint, ac tuiti fuerint. Homini bus non tantum, sed et locis, vrbibus, populis, prouinciis et exerciti bus adscribebantur. Docet hoc Guil. du CHOVL, in discours de la religion des anciens Romains pag. 148. et ea, quae ap. PITISCVM in Lex. Tom. I. p. 847. extat inscriptio :

IOVI. OPTIMO. MAXIMO  
ET. GENIO. LOCI

Homini bus duo tribuuntur genii, alter bonus, alter malus, qui nec in morte a corpore recedunt. CHOVLIVS c. l. p. 149. obseruauit bonos genios post mortem manes, malos autem lemures vocatos fuisse, quod et AVGVSTIN. de ciuitat. Dei IX. confirmauit, quando dicit, *animas hominum daemonas esse, et ex hominibus fieri Lares, Lemures. Lares suae manes si meriti boni sint: lemures siue larvae si mali.* Lemures ne

nocerent colebantur noctis tempore. Geniis autem liba, mola falsa, vinum, thura, flores et coronae, porcus, agnus etc. offerebantur. Reliqua vide apud GYRALD. p. 434. Op. Tom. I. et LINDENBROGIUM in notis ad Censorium de die natali cap. III.

f) Fulgura magna religione apud Romanos obseruata fuisse docet Iul. Caes. BVALENGERVS in pecul. libro de terrae motu et fulminibus. Item Io. Pierius VALERIANVS de fulminum significationibus, quorum vterque liber Tomo V. Thesauri GRAEV. p. 515. et p. 591. insertus est. Arae sapissime superimponebantur loco, in quem fulgur delapsum erat, quod fulgur deinde conditum appellari solebat. Ex inscriptione NEMAVSI p. 132. 8. quae apud PITISCVM quoque extat, hoc patet:

FVLGVR  
CONDITVM  
DIVOM

g) de veteri iure pontificio Lib. IV. Cap. VI. et VII.



DVS <sup>h)</sup>) et alii, qui ex instituto natalium, nuptiarum, fune-  
rum etc. ritus descripserunt. Erant praeterea et alia quaedam  
sacra et feriae familiarum ac gentium peculiare, quae so-  
lemniter quotannis peragenda erant, nec intermitteri vnquam  
facile poterant, sed in familia aut gente conseruari, et a pa-  
tre ad filios, nepotes et sic porro transfere aequae debebant ac  
penatum sacra. Sic apud DIONYSIVM <sup>1)</sup>) C. Claudius Ap-  
pium Claudium ex fratre nepotem his verbis alloquitur:  
*Μαγείρμαι θεός, ὃν ἱερά καὶ βωμὸς κοινῶς θυσιῶν γεραίρεται*  
*οἱ τῆς Ἀππίας γενεᾶς διὰδοχοί, καὶ προγόνων δαίμονας, οἷς μετὰ*  
*θεῶς δευτέρως τιμῆς καὶ χάριτας ἀποδοόμεν κοινῶς.* i. e. Testor  
Deos, quorum sacra et aras communibus sacrificiis honora-  
mus, quotquot Appiae gentis sumus, Maiorumque Manes,  
quibus post Deos, secundos honores et gratias communes  
perfoluimus. Et MACROBIUS <sup>2)</sup>) refert, ferias proprias fuisse  
familiarum; vt familiae Claudiae, vel Aemiliae, seu Iuliae,  
siue Corneliae; et si quas ferias quaeque familia ex vsu do-  
mesticae celebritatis obseruauit. De his sacris gentilitiis  
quoniam ad institutum nostrum vel maxime spectant, et non  
tam frequens eorum mentio fit, pauca quaedam adhuc sub-  
iungam.

## §. IV.

Dicebantur autem haec sacra annua, anniuersaria, sole-  
mnia, quod certis temporibus et stato quotannis die fieri so-  
lebant. Hoc patet ex VIRGILIO, <sup>a)</sup>) qui ita cecinit:

*De sacris fa-  
miliaribus et  
gentilitiis in  
specie.*

*Interea*

h) In Syntagm. Deor. Hist. XV.  
pag. 433. sqq. Op. Tom. I.

1) Antiq. Rom. Lib. XI. pag.  
696.

k) Lib. I. Saturnal. Cap. XVI.  
pag. 229.

a) Aeneid. Lib. VIII. v. 173.  
Ad quem locum SERVIVS ob-  
seruauit, anniuersaria sacrificia id-

eo non dilata fuisse, quia iterari  
non potuissent, et ad Aeneid. Lib.  
II, v. 202.

*Solennes taurum ingentes ma-  
habat ad aras,*

Solennes aras, inquit, anniuersa-  
rio sacrificio religiosas. Cfr. GY-  
RALDVS Syntagm. Deor. XVII,  
p. 483. Tom. I. Op. et MERVLA de  
sacrificiis Cap. I. §. 5. p. 3.



*Interea sacra haec, quando huc venistis amici  
 Annua, quae differre nefas, celebrate fauentes  
 Nobiscum, et iam nunc sociorum assuescite mensis.*

Gentilitia <sup>b)</sup> nuncupabantur, quando a tota gente, familiaria vero, si a familia tantum exhibebantur. Inter omnes enim constat, gentem a familia differre hoc modo, ut familia pars sit gentis, ut generis uniuersi, et gens in se familias plures contineat. <sup>c)</sup> Cumque gentes hae aliae essent patriciae, aliae plebeiae; cumque in eadem gente saepissime essent familiae et patriciae et plebeiae, alia quoque sacra familiaria erant patriciorum, alia plebeiorum. Inde concludere possumus, si quidem coniecturae locus est, Romanos, quia gentilitia a tota gente erant peragenda, sacra quotannis familiaria non tantum peregrisse, sed et praeterea alia gentilitia sacra celebrasse, in quibus omnes familiae, tum patriciae, tum plebeiae promiscue adfuerint. SIGONIVS <sup>d)</sup> de hac re ambigi quidem adhuc posse arbitratur, interim tamen ex LIVIO loca adduxit, in quibus ipse LIVIVS innuit ea diuersa fuisse. Lib. enim X scribit, Virginiam patriciam, postquam Volumnio plebeio nupsit, a matronis patriciis exclusam fuisse iis sacris, quae in sacello pudicitiae patriciae fiebant: atque eam idcirco plebeiae pudicitiae nouam aram dicasse. Item Lib. IV. cum patricios de plebeiorum connubiorum communicatione indignantes sic loquentes inducit: *Quam aliam vim promiscua connubia habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus*

b) CICERO de Harusp. resp. cap. 15. pag. 535. Tom. II. P. II. orat. a Graeuio edit. LIVIVS Lib. V. cap. 52. DIONYS. HAL. Antiq. Rom. Lib. II. pag. 92. *συγγενήσιν ἰερωτάταις* ea appellat.

c) Hinc FESTO teste, Lib. VII. pag. 164. Gens Aelia appellatur, quae ex multis familiis conficitur. LIVIVS Lib. XXXVIII, cap. 58. refert, Nesciam orationem

habuisse, non communiter modo Corneliae gentis, sed propriae familiae suae. Vid. STREINII praef. in lib. de Gent. et famil. Rom. Tom. VII. Thes. GRAEV. pag. 1073. Ita tamen nomina saepius confunduntur.

d) de antiquo iure ciuium Rom. Lib. I, Cap. VIII, pag. 91. HOTTOMANN. in fragm. leg. XII. tab. pag. 22. profus non dubitat.



bitus plebis, patrumque? ut quis natus sit, ignoret, cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis. Qui tamen sacrorum patriciorum et plebeiorem ritus fuerint, haut proclive dictu existimo, praesertim in tanta rerum et temporum vetustate. Hereditaria sacra haec quoque in specie dicuntur, ex ratione iam adducta. Exhibebatur autem facris hisce anniuersariis Deo cuidam, quem tutelarem venerabatur vniuersa gens aut familia cultus singularis, qui sacrificiis, feriis<sup>e)</sup> et epulis, absoluebatur aequae ac cultus, qui publice Diis ferebatur. In sacrificiis victimae potissimum mactabatur, quae Numini, quod colebant, propriae erant, f<sup>g)</sup> quas deinde lautiores epulae excipiebant, s<sup>h)</sup> et quandoque etiam ludii. h<sup>h)</sup> Certo loco extra domum et statim die erant celebranda

e) CICERO de legibus Lib. II. Cap. XX. pag. 151. Edit. 10H. DAVISII, quae Cantabrigiae 1727. in §. prodiit, Pontifices pecuniam facris coniungi volunt, iisdemque ferias et ceremonias adscribendas putant. Per ceremonias cultus Deorum exterior intelligitur, de his ceremoniis Pontif. M. edicebat, qui hanc ob causam ceremoniarum conseruator in inscript. saepiss. vocatur. Vid. GVTHERIVM de veteri iure pontif. Lib. I, Cap. XII, pag. 27.

f) Sic Ioui & παντα θυετο, non omnia sacrificabantur, docet ARISTOTELES Eth. Lib. V, Cap. 10. sed νεμινον ην αυρα Δι θυετο, αλλα μη προβατα, lege constitutum erat vt capra eidem non oues immolarentur. Tauro tamen et iuuenco ipsi etiam litabantur. VIRGIL. Aeneid. Lib. III, v.

21, et IX, v. 627. Neptuno res sacra fiebat ex ariete et verre. HOMER. Odyss. XI, v. 129. Apollini ex agnis et capris, Cereri ex fuis, OVID. Fast. Lib. I, v. 349. Baccho ex capro, Idem l. c. v. 354. Dianae ex ceruis, apris, capreis, luporum et vrsorum catulis. PAVSAN. in Ach. Cap. XVIII. Aesculapio gallo gallinaceo etc. vid. LAKEMACHERVM in antiquit. Graecorum sacris Part. III. Cap. I, §. VIII. pag. 338. sqq.

g) Epulae enim sacrificales erant vel publicae, si sacrificium publicum fuisset, vel priuatae, si ex priuatis hominibus quis sacra fecisset: tum enim amicis conuocatis partes tum diis diuisas comedebant. HORAT. Odar. I, 37. et II, 14. FESTVS de verb. signif. Lib. XVII. pag. 490.

h) GVTHERIVS de veteri iure

C

re



da haec sacra. Vnde CICERO in orat. de arusp. respon. multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia in illo ipso sacello statuto loco anniuersaria facitarunt. Omnes totius gentis adesse debebant, quod AGELLIVS<sup>i)</sup> memoriae tradidit, qui militum iusiurandum ita conceptum fuisse refert: *Vi adessent praefinita die, his exceptionibus adiectis, ni harunce aliqua caussa fuerit, vt sacrificium anniuersarium, quod recte fieri non posset, nisi ipse eo die esset.* Sic de Fabiis DIONYSIVS<sup>k)</sup> memorat, eos omnes ad sacrificium gentilitium proficiscentes, ad vnum occisos fuisse. Belli tamen aut publicae calamitatis tempore, vnus, aut certe pauciores, id poterant nomine omnium obire; vt legimus apud LIVIVM,<sup>l)</sup> vnum C. Fabium Dorsonem, ad sacrificium Fabiae gentis faciendum, Gabino cinctu, sacra manibus gerentem, de Capitolio descendisse, et per medias hostium stationes egressum, in Quirinali colle omnia solenniter peregisse, atque inde similiter constanti vultu graduque in Capitolium ad suos rediisse. Habuisse autem familias atque gentes, praeter maiorum imagines, quas domi colebant, et alia numina tutelaria, quibus statuo die quotannis sacra publice fecerint, complures testantur inscriptiones,<sup>m)</sup> et auctorum testimonia. An autem et quomodo

re pontif. Lib. III, Cap. XX. et XXI. pag. 162. sqq.

i) Noct. Atticar. Lib. XVI. Cap. IV. pag. 869. Edit. THYSII et OISELII, quae Lugd. Bat. 1666. in 8. prodiit.

k) Antiquit. Rom. Lib. IX, p. 577. Edit. Sylb.

l) Lib. V, Cap. 46. pag. 504. Tom. I Edit. GRONOV. addit LIVIVS: seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cuius haut quaquam negligens est gens.

m) Ex multis vniam alteramue

tantum apponam: Apud Marc. Zuer. BOXHORNIVM in quaest. Rom. quaest. I. pag. 91r. Thef. GRAEV. Tom. V. ex lapide antiquo, qui in propylaeo templi Hazakiensis apparet, haec legitur: MERCVRIO. ET. MINERVAE DIIS. TVTELAR. R. S.

apud GRVTER. p. Inscript. XIX. DIIS CONSERVATORIBVS GEMINIVS. CAPEL LIANVS LEG. AVG. PR. PR. SOD. TITIVS

apud PITISCVM in Lex. Antiq. Rom.



modo haec numina a penetibus, siquidem penates a laribus diverſi fuerunt, diſcrepauerint, non inquiram, gentes potius commemorabo quasdam, de quarum ſacris gentilitiis auctorum inueni teſtimonia. De Seruiliorum gente PLINIVS \*) ex Meſala refert, quod illuſtrem habuerint Trientem, cui ſumma cum cura et magnificentia ſacra quotannis fecerint. Nau- tiorum gentem Mineruae et Palladii ſacra celebraſſe DION. HAL. \*\*) teſtatur. Solemne ſacrum Fabiae gentis, quod in colle Quirinali celebrabatur, LIVIVS, vti modo diximus, commemorat, et laudibus extollit, qui et peculiaria ſacrificia genti Horatiae fuiſſe memoriae prodidit. P) Haud ſecus ſacra Veneris gentis Iuliae, Solis Aureliae, Ditis Patris Valeriae propria fuiſſe legimus. Gens Claudia de cuius ſacris priuatis ſ. antecedente iam iam ex DIONYS. mentionem fecimus, FESTO 3) teſte, propudianum porcum in ſacrificio gentis offerebat. Pauori et pallori Tullus Hoſtilius ſana ſacravit, qui deinde in familia quoque perpetuo culti fuerunt, quod numinata apud VAILLANTVM 1) teſtantur, qui de his gentibus

C 2 omni-  
n) Hiſtor. nat. Lib. XXXIV.  
cap. 13.

Rom. Tom. I. pag. 692. talis quoque extat inſcriptio, quae in baſi antiqua, in monte Auentino, ſub aede Priſcae verſus arcum maximum inuenta eſt:

HERCVLI  
CONSERVATORI  
DOMVS VLPIORVM  
SACRVM  
M. VLPIVS - - -  
VERECVNDVS.

Et apud eundem ib. p. 658. Mars conſervator corporis Mercurialis Auguſti dicitur:

MARTI. AVG.  
CONSERVATORI  
CORPORIS. SVI  
MERCVRIALIS. AVG.  
N. V. EX. IVSSV  
NVMINIS. IPSIVS  
SIGILLVM. MARMOREVM  
POSVIT

o) Antiquit. Rom. Lib. VI. p. 393. Confer omnino ea, quae de his ſacris SERVIVS annotavit ad Aeneid. Lib. II, v. 166. Lib. III, v. 407. Lib. V. v. 704.

p) Lib. I. Cap. XXVI.

q) de verbor. ſignif. Lib. XIV. pag. 396. propudianus porcus dictus eſt, vt ait Capiro Atteius, qui in ſacrificio gentis Claudiae velur piamentum, et exſolutio omnis contractae religionis eſt.

r) in numis antiquis familiarum Romanarum, qui Amſt. 1703. in duobus vol. in fol. prodierunt. Tom. I. pag. 496. V.



omnibus, quas commemoravi euoluendus quoque erit. Horum familiarium sacrorum curam Pontifex M. aequae ac publicorum habebat. Nam ut LIVIUS <sup>s)</sup> ait: *primo pontifici Numa Rex sacra omnia attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra ferent, atque vnde in eos sumtus pecunia erogaretur.* Caetera quoque omnia publica priuataque sacra istius scitis subiecit, ut esset, quo consultum plebs veniret. Ipso tamen non opus erat ad sacrificium vnus gentis peragendum, <sup>t)</sup> quod ab aliis sacerdotibus peragi poterat. Immo familiae ipsae alebant sacerdotes, qui sacris istis priuatis praesent, quod satis apparet ex marmore apud REINESIVM, <sup>u)</sup> in quo memoratur L. POLITICENVS, L. F. PHILIPPICVS, SACERDOS. SERG. FAM. Haec sufficiant de sacris Romanorum priuatis.

## §. V.

*Sacrorum priuatarum conferuatio mandata fuit.*

Venio nunc quasi in arcem rei, et de ipsa iam sacrorum hereditate, cuius illustrandae causa haecenus promissi, agendum esse video. Quibus modis hereditatem consequerentur Romani nostrum iam non est inquirere. Ablegamus potius lectorem ad ea, quae incomparabilis antiquitatum aevi nostri perscrutator HEINECCIUS <sup>a)</sup> passim ad diuersos institutionum titulos, v. c. de heredibus instituendis, de testamentis;

de

s) Lib. I. Cap. XX. pag. 44. Tom. I. Edit. Gronou. DIONYS. HAL. L. II, p. 132. Illius enim erat omnes religiones interpretari, hinc TACITO Hist. Lib. IV. Cap. 83. pag. 542. Tom. II. Edit. Gronou. *antistes sacrorum*, a PLVTARCHO in Numa pag. 66. *exegeta*, ab HESYCHIO *μυσικαγωγός*, et in inscriptionibus *ceremoniarum conferuator* appellatur. Confer GVTHERIVM de iure pontif. Lib. I. Cap. XII. p. 27. qui hanc simul exhibet inscriptionem:

PONTIFICI. MAXIM.  
TRIBVNI. POTESTAT.  
IMP. XVII. P. P.  
COS. VII. DESIGN. VIII. CENSORI  
CONSERVATORI. CEREMONIAR.  
PVBLICARVM.

t) Vid. Ioh. Andr. BOSII Lipsi exercitat. historiam de pontifice Maximo Romae veteris, Cap. IV. pag. 251. B. Thefauri Antiquit. Rom. GRAEV. Tom. V. cui inserta est.

u) Inscript. Class. V, 53.

a) Antiquit. Rom. ad Institut. Lib.



de hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, de legitima agnatorum successione etc. erudite exposuit. In eo tantum verfabitur nostra occupatio, vt euincamus, Romanos sacra priuata cum hereditate, quocunq; demum modo illa fuerit obtenta, coniunxisse. Hoc antequam faciam, non possum quin prius euincam, sacrorum priuatorum conseruationem a priuatis inde temporibus et ab ipsis statim vrbs conditoribus serio fuisse mandatam. Agedum rem altius nonnihil repetemus! Ad CICERONEM autem potissimum prouocabimus, qui saepissime huius legis memoriam iniecit. Quando enim fratris leges de religione interpretatur, et earum tantum summas et sententias refert, legis etiam, quae ita habet, mentionem facit: *b) Larium sedes, ritus familiae patriaeque seruant.* Et non multo post: *Sacra priuata perpetuo manento.* Alio iterum loco *c)* de sacris priuatorum ita legimus: *De sacris autem haec sit vna sententia vt conseruentur semper, et deinde familiis prodantur, et vt in lege posui perpetua sint sacra.* Et in oratione pro Muraena, *d) cum permulta, inquit, praeclara legibus essent constituta, ea Iurisconsultorum ingenio pleraque corrupta et deprauata sunt. Sacra illi interire noluerunt: horum ingenio etc.* Quando legum mentionem facit, duodecim tabularum leges intelligit, quarum, cum antiquissimae essent, magna apud Romanos semper obtinebat autoritas. Hinc CICERO illas etiam supra omnes fere bibliothecas omnium philosophorum extendit. *e)* In harum

C 3

frag-

Lib. II. Tit. X, XI, XII, p. 502. Tit. XIV, pag. 518. seqq. Tom. I. ad L. III. Instit. Tit. I--XIII. etc. in Tom. II.

b) De Legibus Lib. II. Cap. 8. pag. 100. Edit. DAVISII.

c) De Legibus Lib. II. Cap. 9. pag. 108.

d) Cap. XII. pag. 44. Orat. Tom. II. Part. II. Edit. Graeu.

e) Cum iam ad leges XII. tabularum prouocauerim, operae pre-

tium me facturum esse existimo, si breuem istarum historiam supeditauero, quo de earum auctoritate eo melius constet. Cum anno V. C. trecentesimo circiter nouae leges ferendae essent, et de latore inter populum et magistratum disceptaretur, rem tandem ita expeditit T. Romilius Consul, vt ad Graecas ciuitates mitterentur legati, qui Solonis inclytas leges describerent, et aliarum ciuitatum Grae-



fragmentis, quae nostra memoria adhuc supersunt, haec prima statim extat lex, ex CICERONE procul dubio desumpta:

SACRA

Graeciae instituta, mores et iura cognoscere. Tribus itaque legatis Sp. Postumio, A. Manlio et Seru. Sulpitio in Graeciam missis, qui variarum ciuitatum leges describerent, hisque, toto triennio confumto, ex Graecia tandem redeuntibus A.V. CCCII. a Decemuiris, ad hunc actum constitutis, leges decem tabularum fuerunt compilatae. Peregrinas autem non tantum et adscititias consuetudines, verum etiam patria instituta et ea, quae ex regis legibus idonea videbantur, adhibuerunt, quod DIONYSIVS Lib. II. et X. obseruauit. Plebiscito deinde confirmatae aeneis tabulis X. incisae, et in foro Romano illustri loco positae fuerunt. DIODORVS Lib. XII. PLINIVS Lib. XXXIV. Cap. IX. His postmodum altero post primam promulgationem anno, duae aliae tabulae sunt additae, et pro rostris propositae, ac postea in Capitolio asseruatae. LIVIVS Lib. III. Cap. XXXI. seq. DIONYSIVS Lib. X. pag. 676. Gallico postea incendio conflagrarunt; ast conquisitis vndique fragmentis et apographis paullatim restitutae fuerunt. LIVIVS Lib. VI. Cap. I. postea pueris addiscendae proponebantur,

CICER. de Legg. Lib. II. Cap. IV, et XXI. Quantum enim auctoritatis legibus hisce fuerit tributum, dici vix potest. vid. de hac re SIGONIVM de antiquo iure ciuium Rom. Lib. I. Cap. V. pag. m. 70. Triplex ius, sacrum, publicum, et priuatum complectebantur, secundum illud AVSONII:

*Ius triplex tabulae, quod ten  
sanxere quaternae;*

*Sacrum priuatum, populi commune quod est suum est.*

Sec. VI. post C. N. hoc legum XII. tabularum corpus periisse plerisque est verisimile. Illud tamen collectis vndique fragmentis ex Cicrone, ex Festo, Dionys. Hal. A. Gellio, Liuiio, Macrobio, Plinio restituere tentarunt recentiores permulti. V. C. HOTTOMANVS, RIVALIVS, OLDENDORPIVS, PIGHIVS, TVRNEBVS, GRAVINA, GOTHOFREBVS, (quem reliquis omnibus praefendum censet HEINECCIUS in prooem. Antiq. Rom. §. V. pag. 7.) et alii, quos PITISCVS in Lex. Antiq. Rom. Tom. II. pag. 894. et ROSINVS Antiq. Rom. Lib. VIII. Cap. VI. pag. 562. recenset. Ex veteribus eas interpretati sunt: Sext. AELIVS, L. ACILIVS, quod CICERO de Leg. II. restatur, Antistius



SACRA PRIVATA PERPETVA MANENTO. f) Sic apud FESTVM g) Cato in L. Veturium inuecturus, hoc potissimum vrget, quod sacra priuata deseruisset. In regum legibus iam iam hanc sacrorum priuatorum conseruationem sancitam fuisse, exinde patet, quod Atticus apud CICERONEM h) non multum hanc religionis constitutionem a legibus Numae difcrepare dicat. Immo ipse Romulus apud DIONYSIVM HALICARN. i) huc respexisse videtur, quando iussit, vt mulier sacrorum mariti particeps fiat. Et sic affatim probaui, legibus mandatum fuisse, vt sacra familiarum perpetuo seruarentur.

## §. VI.

Nec deest ratio, quae reddi potest, cur de sacrorum priuatorum conseruatione tam sollicitos sese praebuerint veteres Ratio cur conseruari debebant. Romani. Quod si enim semel constituta sacra, quaecunque fuerint, siue publica, siue priuata, intermitterentur, ad iram concitari superos et ingens crimen, et sacrilegium, quod piaculum quoque vocabant, committi credebatur. a) Iram suam variis prodigiis, monstis et portentis notam faciebant hominibus Dii laesi, quae, ni procurarentur, insignem calamitatem

aficius LABEO, qui commentarius a GELLIO Nost. Att. Lib. I. Cap. XII. celebratur, Seruius SVLPITIVS, et CAIVS, quorum tamen commentariorum non nisi nomina supersunt. Vid. HOTTOMANNI praefat. in XII. tab. pag. 16. et ROSINVM c. l.

f) ROSINVS Antiq. Rom. Lib. VIII. pag. 362. sq. Edit. Amst. 1685.

g) de verborum significat. Lib. XVII. voce stata sacrificia p. 543. *Stata sacrificia sunt, quae certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scribit de L. Veturio, de sacrificio commissio* (pro quo DACE-

RIVS de sacrilegio commissio legere mauult) *cum ei equum ademit, quod tu, quod in te fuit, sacra stata solemnia, sancta deseruisti.*

h) De Legibus Lib. II. Cap. IO. pag. 109.

i) Lib. II. Antiquitat. Roman. pag. 95.

a) VIRGILIUS Aeneid. Lib. VIII. v. 174. FESTVS de verborum signif. Lib. XVII. v. stata sacrificia pag. 543. vbi Cato L. Veturium sacrilegii reum agit ob intermissa stata solemnia. SERVIUS ad locum VIRG. ita habet: Annuer-



ciuitati aut familiae, quae ceremonias a pontifice praefcriptas, aut ritum, aut solemne sacrum intermiserat, ominabantur. b) Quapropter simulac ob sacra intermissa iratos sentiebant superos, statim piacularia sacrificia, quae piacula proprie dicuntur, c) ex pontificum decreto ipsis decernebant, d) quibus placarent eos. Omisâ autem sacrificia a pontifice de-

nuo

niuersaria sacrificia ideo non differuntur, quia nec iterari possunt: nam Kalendaria si qua ratione fuerunt dilata, possunt repeti, nec piacula eorum intermissione committuntur. Conf. MERVLA de Sacrific. Rom. Cap. I. §. 5. pag. 3. GVTherivs de veteri iure pontif. Lib. III. Cap. XVII. sqq.

b) Conf. Iul. Caesar. BVLENGERII de ominibus et prodigijs libros, qui in Thesaurio Antiquit. Roman. GRAEVIANO Tom. V. pag. 442 extant.

c) Minus recte GVTherivs de Iur. Pontif. Lib. I. Cap. XXI. pag. 41. et NIEVPOORT Rituum Rom. expl. Sect. IV. Cap. III. §. 8. pag. 387. (marg. 377) pronuntiasse videntur, quando dicunt, piaculum proprie significare crimen expiandum; metonymice autem sacrificium, quo illud crimen expiatur. Mihi potius cum PITISCO, et G. I. VOSSIO in etymol. v. pius, contrarium placet, ita vt piaculum proprie sacrificium, pro satisfactione peccati, improprie autem, et per metony-

miam consequentis pro antecedente crimen, propter quod piaculum debetur, notare dixerim. Eymon vocis ita sane suadet, quod non peccatum committere, sed pro peccato satisfacere notat. In priori sensu ab HORATIO Carmin. Lib. I. Od. XXVIII. v. 34. legitur:

*Debita iura vicesque superbae  
Te mancant ipsum: precibus  
non linguar, inultis,*

*Teque piacula nulla resoluent.*

In posteriori autem significatione a VIRGILIO Aeneid. Lib. VI. v. 569 adhibitum extat:

*Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Ad quem locum SERVIVS quoque obseruauit, *scelera, fraudes, flagitia admissa, neque in viuis expiata* hic intelligenda esse. Sic apud TACITVM Lib. I. Annal. Cap. XXX. pag. 70. Edit. GRO-NOV. *piaculo solui*, a crimine, peccato solui, et apud LIVIVM Lib. II. cap. XXXVIII. *piaculum mereri*, culpam contrahere dicitur.

d) LIVIVS Lib. XXIX. cap. 19.  
CICE-



nuo iterum erant instauranda<sup>g</sup>); illa enim pro cibo potu- que Diis esse, cosque ex sacrificiis alimenta capere absurda gentiliū erat opinio. Hoc inde colligi posse videtur, quod Lacedaemonii lunonem Ἀργοφάγον, <sup>f</sup>) capras comedentem cognominauerint, quia nimirum capras ei immolabant, qui- bus vesci illa praecipue gaudebat. Luculentius autem illud ipsum indicat, et pro more suo ridet LVCIANVS, <sup>g</sup>) cuius ver- ba

CICERO de Legg. Lib. II. cap. XV. PLIN. Lib. XXVIII. cap. 2.

e) Sic apud LIVIUM Lib. XXXIV. cap. 44. Ver sacrum, quod Lib. XXXIII. cap. 44. ex pontificum iussu votum fuerat, de integro faciendum censuerunt pontifices, quoniam priore anno non recte factum erat. Cum Clodius de pollutis Bonae Deae sacris accusa- retur, pontifices instaurationem sacrificii decreuerunt. DIO. Lib. XXXVII.

f) PAVSANIAS in Lacon. cap. XV. pag. 97. lin. 23. Edit. Guil. XYLANDRI, quae Francof. apud Wechelios 1583. in fol. pro- diit.

g) de sacrificiis Tom. I. Opp. pag. 366. Edit. Graevianae, quae cum vers. IO. BENEDICTI, et cum notis integris variorum Amst. 1687. in duobus voluminibus in oct. pro- diit. Si cuidam forte hominum Deumque huius irrisoris testimo- nium infirmum visum fuerit, ARI- STOTHPANEM adeat, apud quem Prometheus cum Pifsthaero lo- quens in aubus v. 1513. pag. 430.

Edit. Lud. KVSTERI, quae Amst. 1710. cum schol. graec. et notis Isaac. CASAVBONI, Ezech. SPAN- HEMII et Rich. BENTLEII in fol. magnifice adornata fuit, aper- te hoc quoque profitetur:

ΠΡΟ. Ἀπόλασεν ὁ Ζεὺς. ΠΕΙ.

Πηνὴ αὐτὸ ἀπόλετο;

ΠΡΟ. Ἐξ ἔπερ ἡμεῖς (ὄρνιθες)  
ἀκήσατε τὸν αἴρα.

Θύει γὰρ εἰς ἐὸν ἀνθρώπων ἐπι-  
θεοῖσιν ἐδὲ κίσσα μηρίων ἀπο-  
Ἀνήλθεν ὡς ἡμᾶς ἀπ' ἐκεῖνος τῶ  
χρόνε

Ἄλλ' ἄσπερ εἰ θεομοφορίοις η-  
τεύμεν.

Ἄνευ θυηλῶν οἱ δὲ βάρβαροι  
θεοί;

Πενῶντες ἄσπερ Ἴλλυριοὶ κερει-  
γότες

Ἐπιστρατεύσειν φάος ἀνάθει τῶ  
Δι;

Εἰ μὴ παρέξει τὰ ἐμποροὶ ἀνε-  
ωγμένα;

Ἴν' εἰσάγοντο σπλάγγνα κα-  
τατετμημένα.

PRO. Perit Iupiter, PIST. quan-  
do periit? PRO. Ex quo vos  
(Aues) in aërem habitatum mi-  
gratis.

D



ha hic apponi merentur: Ὅτι δὲ Θεοὶ παρὲς Ζηνὶ καθήμενοι, ἀποσπᾶσιν ἐς τὴν γῆν, καὶ πάντα περιβλέπτουσι ἐπιώπτοντες, ἔπιδεν ὄψονται πῦρ ἀναπτόμενον, ἢ ἀναφερομένην κνίσσαν, ἐλισσομένην περὶ καπνῷ. Καὶ μὲν οὖν τις, ἐρωχέονται πάντες, ἐπιμεχρόντες τῷ καπνῷ, καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βομοῖς προσχεόμενοι. i. e. At vero dii Ioui affidentes, in terram despiciunt, et inclinato capite quoquoersum circumspiciunt, sicunde subuolantem ignem videant, aut surgentem nidorem, circaque fumum sese rotantem. Ac si quis forte sacrum faciat, epulantur omnes, inhiantes fumo, ac muscarum in morem affusum aris sanguinem bibentes. En itaque rationem, quae gentiles ad accuratam statorum sacrificiorum obseruationem vel maxime impulit.

## §. VII.

*Ex pontificum  
constitutioni-  
bus factum, ut  
sacra pr. cum  
hereditate con-  
iungerentur.*

Quod autem sacra priuata cum hereditate coniuncta fuerint, ex pontificum constitutionibus factum fuisse testatur CICERO<sup>a)</sup>: *Haec iura, inquit, pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, et iis esset adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia veniret. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerablem nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri, quaerunt enim qui adstringantur sacris, heredum, causa in-*  
*siissima*

grastis. Hominum enim nemo quidquam nunc sacrificat Diis: neque nidor a victimarum femoribus ascendit ad nos ab eo vsque tempore; sed sicut in Tescmophoriis ieiunium agimus absque sacrificiis. Barbari vero dii esurientes tanquam Illyrii dentibus praefame strident, seque dicunt expeditionem esse suscepturos aduersus Iouem, ni emporia efficiat libera et aperta, ut importent exta concia. Ipse etiam LVCIAVS alibi in Icaromenippo Tom,

II. Oper. pag. 207. serio magis hoc testatur: *Μάλισσα δὲ ἠδονται, σιτέμενοι τὸν ἐκ τῶν θυσιῶν καπνὸν, αὐτῇ κνίσσῃ ἀνηνεγμένον. Καὶ τὸ αἷμα δὲ τῶν ἱερέων, δὲ τοῖς βομοῖς οἱ θύοντες προσχεύουσι.* Praecipue vero gaudent Diu vesci sacrificiorum fumo, cum ipso nidore subuecto; et sanguine victimarum, quem sacrificantes aris circumfundunt.

a) de Legibus Lib. II. Cap. 19. pag. 149.



*stissima est. Nulla enim est persona, quae ad vicem eius, qui e vita emigraverit propius accedat.* Et non multo post ita iterum de hac sacrorum hereditate scriptum reliquit: *Sacra cum pecunia nulla lege, sed sola pontificum auctoritate coniuncta sunt.* Vides itaque pontifices, quorum permagna apud Romanos erat potestas, vt legi huic, de sacrorum priuatorum conseruatione, quorum aequae ac publicorum curam gerebant, eo melius subuenirent, pro sua, qua pollebant auctoritate constituisse, vt cum pecunia atque possessionibus sacra priuata semper essent vnita. Hac ratione haut facile ea interire posse arbitrabantur, quia semper adfuturos homines sperabant, qui defuncti opes atque bona appeterent. Ea quae pontifices in rebus ad religionem spectantibus edicebant decreta nuncupabantur. Diligenter haec in vnum corpus colligebantur, inde ius pontificum,<sup>b)</sup> cuius frequens est mentio

D 2

b) Huius iuris leges praecipuas CICERO de Leg. Lib. II. retulit. Ab Hetruscis Romani accepisse videntur. Numa VIII. libris illud complexus est, vid. DI-ON. HALIC. Lib. II. pag. 124. quos Ancus Martius per Pontificem Max. in album referri iussit atque publicauit. vid. LIVIUM Lib. I. Cap. 32. Dicti sunt *libri pontificiales*, SENECA Epist. CVIII. LIV. Lib. I. cap. XX, *libri sacerdotum*, GELL. noct. Attic. Lib. XIII. Cap. XXII. *libri ceremoniarum*, TACIT. Annal. Lib. III. cap. LVIII. *Libri rituales*, FESTVS de verb. signif. Lib. XVI. pag. 465. *Indigeramenta, vā iepapmōē Bī-βnōā*, vt vetus glossarium habet SERVIUS ad Virg. Georg. Lib. I. 21. VOSSIVS in opere etymol.

*Libri hinc pontificum*, LIVIUS Lib. IV. Cap. VII. *Tabulae dealbatae*, quae pontificum iussu scribae fecerant publici, sacris vñibus addicti, cum ea describerent, quae pontifices ipsi pugillaribus suis mandauerant. Eae in pontificis M. domo proponi solebant. Vide omnino de vltimis duabus denominationibus ea, quae Henricus DODWELL, in praelectionibus academicis in Schola Camde-niana habitis et Oxonii 1692. in 8. editis, erudite annotauit in appendice §. IV. pag. 654. Vbi simul harum tabularum fragmentum hactenus ineditum exhibituit, ius ipsū, quod pontifices exinde obtinuerunt, ius sacrum, pontificiale, pontificium, ius religionis et ceremoniarum, appellatum fuit. Vid.



tio enatum fuit. Utque ea, quae in sacris libris atque constitutionibus ante XII tabularum promulgationem habebantur, legum vicem obtinebant; c) sic in sequentibus quoque temporibus non temere quis ab iis recedebat. Nam quae pontifices decernebant, Senatus ut plurimum ἀποφάσει sua autoritate confirmabat, unde eorum decreta proprie δόγματα non ἀποφάσματα dicere mauult GVTHERIVS. d)

## §. VIII.

Heredes a) igitur ex pontificum autoritate sacris priuatis defunctorum erant adfricti, eaque semper sequebantur illos, quos pecunia. Hinc omnes non tantum iis alligabantur,

*Sacrorum  
priuatorum  
hereditas ad  
legitimos he-  
redes transi-  
bat.*

Vid. CICER. de Leg. Lib. II. Cap. 22. pro domo Cap. XII. et XIII. LIVIVM. Lib. XXX. Cap. I. MACROB. Saturnal. Lib. III. Cap. 2. De septem latinis libris Numae de iure pontificio in arca lapidea repositis, qui iussu senatus in Capitolio cremati sunt, quia pleraque dissolendarum religionum essent, vid. LIVIVS Lib. XL, Cap. XXIX. Autores antiquos deperditos, qui in ius Pontificum commentati sunt, recenset Burch. Gorth. STRVVIUS in Syntagm. Antiq. Rom. Cap. II. pag. 188. E recentioribus hoc argumentum profecuti fuerunt Franc. HOTTOMANNVS, qui sub nomine Francisci Villierii latere voluit in tr. de religione Romanorum ex instituto Numae, Geneuae 1553. in 8. et qui primo loco nominandus erat Iac. GVTHERIVS in Libris IV. de veteri iure pontificio, Editis Pa-

ris 1612. in 4. et Tom. V. Thefauri GRAEVIANI recufis.

c) DIONYS. HALIC. Lib. X. pag. 681. GVTHERIVS de iure pontif. Lib. I. Cap. III. pag. 8.

d) de Iure pontif. Lib. I. Cap. XXIV, pag. 45.

a) Heres proprie dicitur dominus bonorum defuncti, cui legitimo iure, id est cognationis, ea obueniunt. Ita FESTVS de verb. signif. Lib. VIII. pag. 175. heredem apud antiquos pro domino poni obseruauit, et Gloss. eum per κύριον, κληρονομήμον, dominum, possessorem definiuit. Inde IVSTINIANVS §. vlt. de hered. qual. et differ. pro herede, inquit, gerere, est pro domino gerere, veteres enim heredes pro dominis appellabant. Ab herus enim dictum videtur heres. An autem herus ab ἥρως, quod SCALIGERO videtur Cap. XXVI. de causis L. an



cur, quos natura arctiori propinquitatis vinculo cum mortuo coniunxisset, naturales puta heredes, proximaque necessitudines, quae, nisi me omnia fallunt, heredes legitimi atque necessarii in iure vocantur: sed et alii qui e familia testatoris non erant, vt infra explicabimus. Videamus primo de heredibus, quos legitimos vocauit. Per hos autem intelliguntur potissimum ii, qui in potestate defuncti erant, quique proximum potestatis locum obtinebant. Tales erant filii, filiae, et nepotes ex filiis, quos auus in potestate habebat; <sup>b)</sup> Vxor, quae in manu erat, et nurus, quae in manu erat filii, quem quis in potestate habebat; <sup>c)</sup> post mortem patris nati; ab hostibus reuersi, ex primo secundoque mancipio manumissi etc. <sup>d)</sup> Isti omnes, et praecipue filii filiaeque familias hanc ob causam in SACRIS PATERNIS ESSE, IN SACRIS MANERE, IN SACRIS PATERNIS CONSTITVTI dicebantur, quam diu in manu et potestate patris familias erant; vt e contra illi qui per emancipationem e patria potestate et hereditate exiunt, a SACRIS PATERNIS EXIRE et in alterius gentis SACRA TRANSIRE dicebantur. <sup>e)</sup> Et CICERO <sup>f)</sup> priuata sacra ita iure pontificio constituta ait, vt ad quem pecunia, ad eundem etiam sacrorum obligatio perueniret. Omnino enim diligentissime esse animaduersum, ne priuata sacra interirent, sed familiis deinceps proderentur. Praeterea vero et vxor secundum leges sacras aut per confarreationem aut per coemptio-

D 3 nem

L. an a Syriaco  $\text{אָרר}$ , quod est libertas, quae heri summa est, cum nemini subditus sit, an vero potius ab hebraeo  $\text{אָרר}$ , heredem esse, possidere, quod VOSSIO, quem vide in etymol. pag. 287. placet, descendat, non inquiram, perinde enim est ex quacunque lingua illud vocabulum deduxeris. Confr. DACERII annotata ad FESTVM.

b) Vid. CAII Institut. II. 3, 6.

PAVL. recept. sent. IV. §. 4. sqq. ULPIAN. Fragment. XXII. 14.

c) A. GELLIVS Noct. Attic. Lib. XVIII, Cap. 6. DIONYS. HALIC. Antiquit. Rom. Lib. II. pag. 95.

d) PAVL. recept. sent. IV. §. 7.

e) BRISSONIVS de verborum signif. pag. 1814. HEINECCIUS Antiq. Rom. ad Institut. Lib. I. Tit. X. §. VI. p. 147. Tom. I.

f) de legib. Lib. II.



nem marito iuncta, <sup>8)</sup> vt bonorum fiebat particeps, ita etiam sacra mariti hereditate assequatur. Liquet hoc ex DIONYSIO HALICARN. <sup>h)</sup> qui ex lege Romuli illud deducit,

g) Triplici enim modo matrimonio contrahebantur apud Romanos, vel vsu, vel farre, vel coemptione. SERVIVS in Virgil. Georg. I. v. 31. CICERO in Topic. Lib. III. I) vsu, cum mulier matrimonii causa per annum integrum et continuum cum viro fuisset, nec ante anni finem vsurpatum iuisset, i. e. per tres noctes a viro non abfuisset. v. GELLII Noct. Attic. Lib. III. Cap. 2. II) CONFARRATIONE, quando certis verbis et decem testibus praesentibus per pontifices aut flamines solemnii sacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conueniret. DIONYS Lib. II. pag. 95. TACIT. Annal. Lib. IV. Cap. 16. Effectus eius erant: 1) COMMVNIO SACRORVM, quae in priori modo non locum obtinebat, singulis enim annis vxor operam dabat, vt per dies aliquot abeslet a marito, quo vsucapio interrumpetur adeoque manebat in potestate et sacris parentum. In confarratione autem sacrorum mariti statim fiebat particeps, quando in eius manus conueniret i. e. ipsi iungeretur. DIONYS. c. l. et MODESTINVS Lib. I, 7.

de ritu nupt. 2) vt ex illo matrimonio nascerentur PATRIMI et MATRIMI, TACIT. Hist. Lib. IV. Cap. 53. FESTVS de verb. signif. Lib. VI. v. *Flaminia* pag. 151. et v. *patrimi* Lib. XIV. pag. 335. 3) VI VXOR FIERET MATER FAMILIAS, et filiae loco haberetur GELL. Noct. Attic. Lib. XVII. Cap. 6. DIONYS. c. l. 4) vt maritus bona omnia vxoris dotis loco acciperet, TERENCE. Andr. I. 5. 5) vt connubium difficillime et non nisi per diffarrationem dissolui posset. VALER. MAX. Lib. II. Cap. I. §. 4. pag. 47. Edit. Steph. PIGHII. quae LugdB. 1594. ex officina Plant. in 8. prodiit, obseruauit a C. V. vsque ad annum DXX. repudium inter vxorem et virum nullum intercessisse. GELLIVS Lib. IV. cap. 3. pag. 277. III) COEMPTIONE i. e. imaginaria emptioe et venditione, quando dicis causa numi adhibebantur, et mulier in potestatem viri transferebatur. CICERO pro Muraena cap. X. pag. 42. Tom. II. P. II. Orat. Effectus erant iidem fere ac confarrationis.

h) Lib. II. Antiq. Rom. pag. 95. conf.



ἡ γυναῖκα γαμετήν κατὰ νόμους ἱερεῶν, συναλθεῖσαν ἀνδρὶ κωνωνὸν ἀπὸ τῶν ἑνὴν χειμάτων τε καὶ ἱερῶν. Mulierem nuptam, quae iuxta leges sacras conuenerat cum viro, Romulus participem esse voluit, omnium bonorum et sacrorum. In Fragmentis legum XII. tabularum <sup>1)</sup> lex quoque inuenitur, quae eundem in finem ita praecipit: VT QVAE MVLIER VIRO IN MANVM CONVENIRET, EA MVLIER ILLI VIRO MATERFAMILIAS ESSET, RERVMOVE IPSIVS OMNIVM AC SACRORVM SOCIA, SVAQVE EI HERES FIERET, ITEM VT HIC ILLI. Vnde MODESTINVS <sup>k)</sup> nuptias etiam definiuit per coniunctionem maris ac foeminae, confortium omnis vitae, diuini et humani iuris communionem. Nulla arctior quapropter poterat esse coniunctio, quam sacrorum, quae rescindi nulla ratione poterat, nisi consensu iustique pontificum, nullaque certior spes successione, quam illa sacrorum communio. Hinc ratio patet, cur vxor domum folemniter deducenda et sacris mariti priuatis initianda erat, <sup>l)</sup> et cur nemo per confarreationem vxorem accipere poterat, nisi cui effet domus ac lararium, <sup>m)</sup> in quo vxor cum eo communibus ac hereditariis sacris frueretur. Talis itaque erat sacrorum hereditas, quae a patre ad filios, nepotes et ad proxime coniunctos in linea descendente, cum pecunia semper transferebatur.

## §. IX.

Iam ad reliqua pergendum, atque alii adhuc quoque modi sunt commemorandi, quibus sacrorum hereditas fuerit secuta apud Romanos. Melius autem officio meo fungi non potero, quam si CICERONIS <sup>a)</sup> verba, cuius testimonium hac in re potissimum mihi videtur, adduxero, in quibus concinna breuitate omnes exposuit casus, quibus alterius sacra priuata hereditate

*Ad Legatarios.*

conf. HOTTOMANNVM de veteri ritu nupt. pag. 355.

i) HOTTOMANNVS in fragm. leg. XII. tab. pag. 95.

k) Lib. I. 7. de ritu nupt.

l) BRISSON. de ritu nupt. pag. m. 64. HOTTOMANNVS

de veteri ritu nupt. quem sibi iunxit BRISS. Cap. XXV. pag. 351.

m) HEINECCIUS Antiq. Rom. ad. Instit. Lib. I. tit. X. pag. 146. Tom. I.

a) de Legibus Lib. II. Cap. XIX et XX. pag. 150 sq.



reditate quasi ad alios transire poterant. Dum enim in eo est, ut legem de conferuandis sacris priuatis fratri exponat, atque monet, quod iam audiuius, ex pontificum constitutis factum fuisse, ut cum pecunia hereditas sacrorum ad filios filiasque transiret, ita statim pergat: *Deinde qui morte testamentoque eius tantundem capiat, quantum omnes heredes, (scilicet sacris priuatis adstringitur) id quoque ordine. Est enim ad id, quod propositum est accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is qui de bonis, quae eius fuerint, quum moriturus acceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum seruet. Extrema illa persona est, ut is, qui ei, qui mortuus sit pecuniam debuerit, neminique eam soluerit, perinde habeatur quasi eam pecuniam ceperit. Haec nos a Scaeuola didicimus, non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, iuris modis sacris adstringi hereditatem, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut si maior pars pecuniae legata est, aut si inde quippiam ceperit. Sed pontificem sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex isto uno, quod pontifices pecuniam sacro coniungi volunt, iisdemque ferias et ceremonias adscribendas putant. Quatuor itaque modos adhuc commemorat CICERO, quibus priuatorum sacra per hereditatem transferri poterant. De singulis sigillatim agendum nobis erit, curatius nonnihil CICERONIS verba examinaturis. Is itaque primum praeter naturales heredes, sacris e vita discedentis adstringebatur, qui, nullo licet aut sane non tam arcto consanguinitatis vinculo cum moribundo iunctus, ex testamento tantam bonorum partem obtinebat, quantum scilicet capiebant omnes heredes. Legatarius partarius eiusmodi heres dicebatur, quod HOTTMANNVS <sup>b)</sup> obser-*

b) in fragm. leg. XII. tab. pag. 24. conf. ALEXANDER ab ALEXANDRO dierum genial. Lib. I. Cap. I. pag. 5. Tom. I. HEINECCIUS Antiq. Rom. ad Instit. Lib. II. Tit. XX-XXII. pag. 540. Tom. I.

Testatores in testamentis verbis imperatiuis uti solebant. Legatorum quatuor genera erant: Vindicationis, Damnationis, Sinenendi modi, et Praeceptionis. I. Quando per VINDICATIONEM testa-



uauit; et CICERO <sup>c)</sup> non multo post de tali legatario dixit, *ei plus legatum esse, quam sine religione liceat.* Aliquando si testator legatarium a molesta hac sacrorum hereditate liberum esse cupiebat, centum numos in testamento deducebat, i. e. detrahi iubebat a legato centum numos, quo minus caperet quam omnibus relictum esset heredibus. Haec deductio eum praestabat immunem ab onere sacrorum. Quod si tamen testator id facere praetermississet, et legatarius sacris adstringi nollet, minus etiam capere poterat, qui mos posterioribus potissimum temporibus obtinuit, de quo infra dicendi locus erit, quando de modis hereditatem a sacris liberandi exponemus. Alias semper cum pecuniae hereditate sacra quoque coniuncta erant, quae si semel in se susceperat heres intermitteri ab eo vix ac ne vix quidem postmodum poterant.

## §. X.

testabantur, his utebantur verbis: SVMITO, HABETO, VINDICA. VIRGIL. Aeneid. Lib. V. v. 533. II. Per DAMNATIONEM legabatur his verbis: HERES MEVS DAMNAS ESTO. VIRG. Aeneid. Lib. XII, v. 727. et SERVIVS ad h. l. III. SINENDI modo hanc adhibebant formulam: HERES MEVS SINITO SVMERE, siue DAMNAS ESTO SINE RE. IV. In PRAECEPTIONIS modo hae litterae solemnes erant: P. S. T. Q. H. i. e. Praecipito, Sumito Tibi Que Habeto. Conf. BRISONIVM de form. Lib. VII. pag. 625. et PITISCVM in Lexico Tom. II. pag. 30. Testamenta vel priuatim ad amicum, vel publice in aede sacra apud acci-

tuum, vel apud tabularium deponerentur. vid. D. Lib. II. et III. de tabulis exhibendis. Inprimis virginibus vestalibus tradebantur, ALEX. ab ALEX. dierum genial. Lib. V. Cap. XII. pag. 110. Tom. II. immo ipsorum Caesarum testamenta apud easdem deponerentur. SVETON. in Iul. Caesare cap. 83. pag. 95. et in Aug. cap. 101. pag. 273. TACIT. Annal. Lib. I. cap. 8. pag. 22. Tom. I. Quando et quo modo testatore mortuo aperirentur, exponunt PAVLVS receptorum sent. Lib. XVIII. tit. VI. et VLPIANVS Lib. III. §. 9.

c) de Legibus Lib. II. Cap. XX. pag. 153.



Ad eos, qui  
vsucepissent  
plurimum.

Sed ad CICERONEM redeo, pergit ille ad alios modos, quibus sacrorum priuatorum hereditas sit obtenta: Quando nimirum, quod secundo loco iam tenendum est, nemo adesset heres, is, qui de bonis qui eius fuerant, qui moreretur, vsucepisset, aut vt CICERONIS vtar verbis, possidendo accepisset plurimum, sacris defuncti adstringebatur. Adeo itaque leges cauerant et interpretationes pontificum, ne sacra familiarum interirent, vt, si nullus etiam relinqueretur heres, cui vel ab intestato, vel ex testamento sacrorum hereditas cum pecunia posset deferri, nihilominus tamen illa variis modis conseruari et ad alios transmitti possent. Is itaque, qui de defuncti bonis, siue mobilibus, siue immobilibus vsu cepisset plurimum, sacra eius priuata in se suscipere tenebatur, ast tunc demum, quando is, a quo possidendo plurimum acquisiuerat, sine prole et sine aliis heredibus constitutus discederet. Est autem vsucapio, quae et vsus autoritas veteribus dicitur, acquisitio domini per vsum legitimi temporis iure ciuili constituta, seu, dominium per continuationem possessionis anni vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii. <sup>a)</sup> Ex iure Attico ad Romanos eam fluxisse, verosimile videtur HEINECCIO. <sup>b)</sup> Ciues Romani iure vsucapiendi frui tantum poterant, nec peregrinis aut ciui-

a) Ita VLPIANVS eam definiuit, vide SIGONIVM de antiquo iure ciuium Romanorum Lib. I. Cap. IX. pag. m. 102. Res furtivae et clanculum subreptae vsu capi non poterant. Lex enim XII. tab. eam non tantum inhibuerat, sed et lege ATTINIA cautum fuit: vt quod subreptum esset, eius rei aeterna esset auctoritas, nisi si in eius, cui subreptum esset potestatem reuertisset. vid.

GELLIVM Noſ. Atticar. Lib. XVII. Cap. VII. pag. 937.

b) Antiquit. Roman. ad Instit. Lib. II. Tit. VI. §. 1. pag. 462. Tom. I. ad Atticas leges procul dubio respexisse ISOCRATES ipsi videtur, quando in Archidamo, pag. 236. Operam Edit. Hier. WOLFFII, quae Basil. 1602. in 8. prodiit, ita loquitur: ἀλλὰ μὲν εἶδ' ἐκείνο ὑμῶς λήθησε, ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδιὰς καὶ πατρῶς,



ciuitate Romana non donatis concedebatur rem alienam possidendo vsucapere. Reliqua, quae de hoc argumento dici possent non morabor. Satis est ex Tullii verbis monstrasse, quod ad eum, qui plurima possidendo a defuncto acquisiuisset, sacra priuata et domestica transiuerint; quando nimirum nulli heredes aut legitimi, aut testamento constituti, adfuissent.

## §. XI.

Restant adhuc duo modi, quibus Sacra priuata conferuari et ad alios transferri poterant. Creditores nimirum vt et vice versa debitores ea subire debebant, si nulli adessent heredes legitimi, legatarii nulli, nullique qui vsu aliquid cepissent. De creditoribus haec sunt CICERONIS <sup>a)</sup> verba: *Quarto si et nemo esset, qui illam rem vsu cepisset, de creditoribus qui plurimum seruaaret, in sacra familiae transibat.* TVRNEBVVS <sup>b)</sup> haec ita interpretatus est: „Si obaerati cuiuspiam, „qui sacro obnoxius esset, bona creditoribus addicta essent. „Qui ex bonis plurimum habuerit, sacris adstringetur, sed et „debitorum bona vt venirent petere a praetore creditores solebant, cui auctioni praeficiebant eum, qui magister dicebatur. Obaerati debitores dicebantur isti, qui iusto tempore non soluerant, nec soluendo iam erant, neque sponte rem, qui debitum in se susciperet, et a creditore acciperetur, dare poterant. Maximus antiquissimis temporibus aduersus eos iuris erat rigor. Quod si enim triginta praeterlapsis diebus debitum non soluisent, in ius rapiebantur, et ni iudicatum facerent, id est pecuniam debitam soluerent, a praetore creditori addicebantur, qui domum adducti, in vincula

*Ad creditores quibus obaerati addicti erant.*

E 2

con-

νὰς, ἢ ἐπιγένηται πρὸς χρέος, κτλ. καὶ πατρῶας ἀπάντες ἕνα νομίζουσι. Praeterea nec illud vos praeterit, possessiones siue priuatas, siue publicas praescriptione longi temporis et confirmari, et patrimonii loco ha-

bendas, persuasum esse omnibus.

a) cit. loco de Legibus Lib. II. Cap. XIX.

b) in Commentar. in Cicero-nem, ad h. l. qui Edit. DAVISI subiunctus est, pag. 366.



coniciiebantur, ad operas feruiles, <sup>c)</sup> quascunque creditor iufferat praestandas, donec aut pecunia, aut opera fatisfecissent. <sup>d)</sup> Et tunc debitores dicebantur *addicti*, propter iudicium praetoris, *obacti* ob statum miserum, quem ex aere alieno subierant, et *nexi*, neruo enim, aut compedibus vinciebantur. Imo capitis supplicium post sexaginta dies ipsis constitutere poterat creditor, quod A. GELLIVS <sup>e)</sup> pluribus explicauit, qui

c) Serui tamen non erant. Solutio enim debito et libertate pristina recuperata, non fiebat liberti, sed erant ut antea ingenui. Poterant liberari inuito creditore, quod apud seruos fieri non poterat. Habebant leges. Vtebantur praenomine, nomine, tribu etc. Quae omnia a seruorum conditione absunt longissime. Ex QVINTILIANO Infit. Lib. V. cap. X. Lib. VII. Cap. IV. et declam. CCCXI. et ex CVIACII Obseruat. XIII. 9. hoc probauit Iulius HEINECCIUS antiq. Rom. ad Inst. Lib. III. Tit. XXX. §. II. pag. 146. Tom. II.

d) Hoc ius aliquando sustulit Seruius Tullius, quod DIONYSIVS HALIC. memoriae prodidit Lib. IV. Antiq. Rom pag. 215. qui regem ita perorantem inducit:  
 ὄσοι δ' αὖ μετὰ ταῦτα δανείσονται, τῆτες ἐκ ἑσῶ πρὸς τὰ χρεῖα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον ἔστω, μηδὲνα δανείξεν ἐπὶ σώματι ἐλευθέροις, ἵνα ὃν ἡγέμενον τῆς δευσιῶς τὰς ἐπίστας τῶν συμβαλλόντων κρατήν. Σὶ

*quidam autem in posterum a foeneratoribus mutuum sumserit, eos ob aes in neruum duci non sinam, caueboque lege, ne foeneratoribus ius sit in libera corpora, sed contenti sint debitoris facultatibus.* Sed non diu hoc mitius institutum viguit, Tarquinius enim Superbus et ipsi Decemviri hunc morem in neruum ducendi restituerunt. V. DIONYS. HAL. Lib. IV. pag. 244. sqq. et in fragm. legum XII. tab. haec lex adhuc extat, e GELLIO sine dubio exscripta.

e) Noctium Artic. Lib. XX. Cap. I. pag. 100r. seqq. Digna legis verba mihi videntur, quae apponam: AERIS. CONFESSI. DE BITI. Q. IVRE. IUDICATIS. TRIGINTA. DIES. IVSTI. SVNTO. POST. DEINDE. MANVS. INJECTIO. ESTO. IN. IVS. DVCITO. NI. IUDICATVM. FACIT. AVT. QVIS. ENDO. EM. IVRE. VINDICET. SECVM. DVCITO. VINCITO. AVT. NERVO. AVT. COMPEDIBVS. QVINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AVT. SI. VOLET. MAIORE. VINCITO. SI. VOLET. SVO. VI VITO. NI. SVO. VIVIT. QVI. EM VIN-



qui et ipsa verba inhumanae huius legis seruauit. Licet autem summa creditorum in debitores esset potestas, ita ut si uellent, eos interficere, immo in partes secare impune liceret, sacrorum tamen priuatorum, si quae habuerint obaerati, rationem habere tenebantur creditores. Melius itaque sacris eorum quam ipsorum vitae prospectum erat. Ista enim cum ipsis interire minime poterant, sed ad creditores qui plurimum seruarent, i. e. ut opinor, quibus addicti erant, transferebantur, qui in ea etiam succedere eaque conferuare debebant, quod ex loco CICERONIS, quem iam explicauimus, clarissime patet.

## §. XII.

Postremum genus, quod CICERO commemorat, alligandi *Ad debitores.* sacris illud erat, quando debitor, qui pecuniam creditori, ob mortem eius interuenientem, non soluisset, sacris iisdem obnoxius esset, quibus creditor eius fuerat adstrictus. *Extrema illa persona erat, inquit CICERO, ut is, qui ei, qui mortuus esset, pecuniam debuisset, neminique eam soluisset, proinde haberetur, quasi eam pecuniam ceperit.* Nec aliter fieri poterat. Dum enim nemo adesset heres, quem Praetor ad hereditatem uocaret, pecuniam mutuo acceptam minime etiam reddere poterat, adeoque haereditate quasi a creditore, qui fati cesserat, hanc pecuniae summam accepisse censebatur, quapropter ex pon-

E 3

tificum

VINCTVM. HABEBIT. LIBRAS FARRIS. IN. DIES DATO. SI. VOLET. PLVS. DATO. Erat autem ius interea paciscendi; ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis, ad Praetorem incomitium producebantur, quantaeque pecuniae iudicati essent praedicabatur, tertiis autem nundinis capite poenas dabant. Si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare, si uellent, atque par-

tiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. et quidem uerba ipsa legis dicam: TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLVS. MINVS. VE. SECVRVNT. SE. FRAYDE. ESTO. Nihil profecto immittius etc. Haec GELLIVS, Lege omnino quae OISELIVS ET THYSIVS ad ea uerba annotarunt. Cfr. ROSINVM Antiquit Rom. Lib. IX. Cap. XVI. pag. 680. et HETNECCIVM Antiq. R. ad Inst. Lib. III. Tit. XXX. pag. 145. sqq. Tom. II.



tificum constitutionibus; qui sacra cum pecunia semper, ut  
audiuimus coniunxerunt, in defuncti sacra priuata transire te-  
nebatur. Hoc tantum, quod iam iam monui attendendum  
est probe, quod tunc demum expositis modis sacra ad alios  
transiuerint, quando nimirum nulli heredes naturales, et ex  
testamento constituti adessent. Quod si enim adessent, ad  
eos tunc sacra transferebantur, nec ii, qui vsu cepissent plu-  
rimum, nec debitores iis erant obnoxii. Debitores enim,  
de quibus sermo nobis iam est, heredibus tunc ea restitue-  
re debebant, quae a defuncto cepissent.

## §. XIII.

*In adoptione  
sacrorum priuato-  
rum ratio  
habebatur.*

Nostrum iam est breuiter monstrare, sacrorum priuato-  
rum rationem in adoptione etiam fuisse habitam, neminem-  
que, qui in filii locum adscitus esset, hereditatem adoptiui  
patris adire potuisse, nisi simul sacrorum eius priuatorum  
heres constitutus esset. Est autem adoptio actus legitimus,  
quo in locum filii adscisceretur ille, qui extraneus erat, ad  
eorum qui liberos non habebant, solatium inuentus. Gene-  
rale nomen adoptio est, et adoptionem in specie talem, et  
arrogationem complectitur. <sup>a)</sup> De vtraque dicemus. Adoptio  
stricte sic dicta, quae per praetorem fieri solebat, eorum erat,  
qui in patria adhuc potestate constituti, a patre naturali eius-  
que sacris per emancipationem in aliam familiam aliaque sa-  
cra transferebantur. Tanta enim apud Romanos parentum  
in filios potestas erat, ut non tantum, si vellent, eos vende-  
re, et alius emancipare, sed et vitae supplicium, si quid gra-  
uius peccauerint, ipsis constituere impune possent. <sup>b)</sup> Quot  
modis

a) GELLIVS Noct. Att. Lib. V.  
Cap. XIX. p. 333.

b) Patriam potestatem, siue  
ius, quod pater in liberos habet,  
ut DIONYS. HALIC. illam de-  
finit, et quam LIVIVS, Lib. III.  
Cap. 45. patriam maiestatem vo-  
cauit, singularem prorsus apud Ro-

manos, et ab omnibus aliis genti-  
bus diuersam fuisse, notae verita-  
tis res est. Paucis illud ius expe-  
diam. Complectebatur I. IVS  
VITAE ET NECIS. DION. HA-  
LIC. Lib. II. pag. 96. 97. ut enim  
patri licuit filium non solum ex-  
ponere, sed et in carcerem con-  
icere,



modis<sup>c</sup>) et quibus ceremoniis<sup>d</sup>) adoptari quis apud Romanos poterit, non iam exponam: Nec in eo operam collocabo, vt inquit.

ficere, flagris caedere, vincum ablegare ad operas rusticas, sic et quouis supplicio necare eum impune poterat. Adhibitis enim in consilium necessariis domi pater pro grauitate delicti poenas et supplicia irrogabat. Hinc pater appellatur *domesticus magistratus*, apud SENECA. de benef. Lib. III. II. *consor filii*, apud SVET. in vita Claud. XVI. *iudex domesticus*, apud SENECA. Controu. II, 3.

Equidem me non latet, esse eruditorem quosdam, qui hoc patrum ius vitae et necis in filios benignius interpretentur, atque dicant, *τὴν ἀπειλίην τε θνητέων* mortis territionem patribus fuisse tantum concessam; sed obstant tot exempla, quo minus sententiae illorum subscribam. VAL. MAX. Lib. V. 2. QUINTIL. Declam. III. SALVST. de bello Catilin. Cap. XXXIX. SENECA. de Clem. I, 15. II. IUS TER VENDENDI LIBEROS quod in adoptione fiebat; filius enim ter debebat vendi et manumitti, antequam de potestate patris exiret; maior itaque patris in filios, quam domini in seruos potestas erat, qui semel manumissi sui iuris erant. DIONYS. HALIC. Lib. II. pag. 97. HOTTOM. leg. XII. tab. fragm. pag. 82. III.

IUS ACQVIRENDI PER LIBEROS, ARRIAN. Diss. Epictet. II. 10. *ὅτι τὸ προσώπει ἐπαγγελίας πάντα αὐτῷ ἡγεσθαι τὸ πατρὸς* filii officium est, vt quae habet omnia patris esse ducatur.

SVETON. Tib. Cap. XV. pag. 308. Hoc ius patris tantum semper dicitur. Mater enim liberos in potestate non habebat, vtpote quae ipsa in mariti manibus erat, et quoniam prae nimio amore liberis nimium indulgere credebatur, quod ARISTOTELES Eth. IX. c. 7. testatus est: *οἱ μητέρες ὕπερ φιλοτεκνότεραι*. TER. Heaut. V, II. 38.

c) duo potissimum modi occurrunt, per aes et libram, qui maxime erat vitatus et solemnis; et per testamentum, qui sub imperatoribus non tantum sed et libera republica fuit receptus. CICERO de officiis Lib. III. Cap. 18. pag. 342. Edit. GRAEV. CORN. NEPOS in Attico Cap. V. pag. 309. Edit. KEVCHEN.

d) Ritus consistebat in trina venditione, adhibito aere et libra. Praesentibus scilicet patre naturali et adoptiuo, filioque adoptando, nec non libripende, antestato, et testibus. Primo pater filium patri adopti-



inquiram, quorum <sup>e</sup>) adoptio, et a quibus <sup>f</sup>) ista demum fieri poterit. Videndus hac in re utique est NORISIVS in Cenotaphiis Pisanis, <sup>g</sup>) qui Celeberrimo IOECHE-

RO

adoptio mancipabat his verbis: MANCVPO. TIBI. HVNC. FILIVM. QVI. MEVS. EST. Tum pater adoptivus aes tenens, simulque apprehendens filium adoptivum, HVNC. EGO. HOMINEM. inquit, IVRE. QVIRITIVM. MEVM. ESSE. AIO. IS QVE. MIHI. EMTVS. EST. HOC AERE. HAC. AENEA QVE. LIBRA. Tum aere percutiebat libram, illudque aes dabat patri naturali, quasi pretii loco. Ea mancipatio ter erat repetenda, si filii loco deberet esse adoptatus. Unica autem mancipatione actus absoluebatur, si quis in locum nepotis adoptaretur. Quo facto pater naturalis iure filii cedebat, et tum adoptio perfecta erat. GELLIVS Noct. Att. Lib. V. Cap. XIX. HEINECCIUS antiquit ad Instit. Lib. I. Tit. XI. §. XV. pag. 172. Tom. I. Principum, qui multa sibi indulgebant, adoptio aliter nonnihil, et domi peragebatur, quod DODWELL. prael. XVIII. ad Spartian. pag. 553. observavit.

e) Masculi et foeminae poterant adoptari, sexagenariis tamen minores: diligenter ad id quoque attendebant, ut adoptaturus plena ad minimum pubertate filium an-

tecederet, ne pater filio natu inferior, vel aequalis esset. Naturam enim imitari debebat adoptio.

f) CICER. pro Dom. Cap. XIII. pag. 427. Quod ius est, pontifices? nempe ut is adoptet, qui neque procreare iam liberos possit, et cum potuerit sit expertus. Fraudulenter autem Romanos hac in re postea egisse, ex SCITO patet, quo cautum fuit, ne simulata adoptio in ulla parte muneris iuaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset TACIT. Annal. Lib. XV. cap. 19. pag. 1031. T. I.

g) Diss. II. pag. 84. seq. Edidit F. Henr. NORIS Veronenfis Venet. 1681. in fol. Cenotaphia Pisana Caii et Lucii Caesarum, dissertationibus illustrata, in quibus Coloniae OPSEQUENTIS IULIAE Pisanae originem vetusti magistratus, et Sacerdotum Collegia: Caesaris, vtriusque vitam, gesta et annuas eorundem inferias exposuit ac auream vtriusque Cenotaphii Latinitatem demonstravit. adde et A. GELLIVM Noct. Att. Lib. V. Cap. XIX. pag. 352. ut et Henr. DODWELLVM in praefect. Camden. ad Spartiani Hadrian. prael. XVI. pag. 506. et XVIII. pag. 551. qui principum aequi-

Impe-



RO<sup>h</sup>) teste, praecipuus in hac antiquitatum parte reputatur. In eo tantum versabitur labor meus, vt euincam, eum, qui in filii locum adoptaretur, participem simul factum fuisse religionis domesticae et sacrorum illius, qui eum adoptabat. Quod si enim quaestionem mouemus, cur a Romanis inuenta et Romae frequentius, quam vsquam terrarum, exercita sit adoptio, triplicem ob rationem eam institutam fuisseprehendimus, inter quas prima statim est, ne sacra interirent ista, quibus vnaquaeque, vt supra commemorauimus, gaudebat familia. <sup>i)</sup> Si porro quaerimus, quinam effectus fuerint adoptionis; vno ore ab omnibus antiquitatum Romanarum conditoribus edocemur, adoptionem hereditatem nominis <sup>k)</sup> pecuniae<sup>l)</sup> et sacrorum secutam fuisse. M. Anneii exemplo  
hoc

Imperatorum adoptiones potissimum descripsit.

h) In programmate nuper admodum de adoptionibus per arma edito.

i) vid. VOPISCVM in Valerian. Cap. XIV. alterae duae causae erant, vt poenas orbitatis effugerent, et praemia πολυπραγμιαe proposita consequerentur a GELL. c. l. denique tertia, quae spuria erat, et fraude fiebat, vt tribuniciam potestatem ambire possent. vid. SVETON. Tib. Cap. II. pag. 284. CICER. pro dom. Cap. XIII. Clodius et Dolabella huius adoptionis exempla dedere. De Clodii ad plebem transitu conf. Franc. FABRICIVM Marcoduranum in vita Cicéronis pag. 135 et 139.

k) Adoptati assumebant vel

1) omnia adoptantium nomina, et addebant nomen gentilium suum nonnihil mutatum, vt pro Octauio Octavianus, Fuluius, Fulcianus, vel 2) nomen gentilium prorsus non mutatum subiungebant, vel 3) adoptantium praenomen et nomen tantum vsurpabant, et gentilium nomen in *anus* mutatum adiciebant. vel 4) omnia adoptantium nomina serebant, atque cognomen vetus aliqua ratione mutatum adiciebant, vel 5) nomen gentilium vetus multis modis variatum addebant. vid. ONVPHR. PAMVIN. de nominibus Romanorum Tom II. The-saur. GRAEV. p. 2044.

l) Pecuniae autem nomine non solum numerata pecunia, sed etiam res tam soli, quam mobiles, et tam corpora quam iura continentur.

F

nentur.



hoc docet VALER. MAX. <sup>m)</sup> qui in Suffenantis familiam ac sacra tranſiſſe dicitur per adoptionem. Et LIVIUS <sup>n)</sup> commemorat L. Aemilium Paullum, duobus filiis in adoptionem Corneliae et Fabiae genti datis, ſolos adhuc duos nominis, ſacrorum familiaeque heredes retinuiſſe domi. Audiamus hac de re CICERONEM <sup>o)</sup> qui diſertis verbis id teſtatur, quando inquit: *adoptionem ſequebatur hereditas nominis, pecuniae, ſacrorum.* Paulo ante dixerat, Pontificum curam fuiſſe proſpicere, ne quid per adoptiones de ſacrorum religione imminueretur, hinc quaeritum ab ipsis fuiſſe, ſi quis adoptaretur, quae cauſa adoptionis, quae ratio generum ac dignitatum, quae ſacrorum fuerit. Oſtendit porro, nihil harum rerum in adoptione Clodii obſeruatum fuiſſe, utpote qui ſe plebeio cuidam, cuius nomen Fonteius erat, adoptandum dederat, ut Tribunitiam poteſtatem obtineret. Clodium itaque ſic alloquitur: *Quid? Sacra Clodiae gentis cur intereunt, quod in te eſt? quae omnis notio Pontificum, cum adoptarere, eſſe debuit.* Et paucis interiectis ita pergit: *Tu neque Fonteius es, qui eſſe debebas, neque patris heres: neque amiſſis ſacris paternis in haec adoptiua veniſti. Non omnia referam, quae ex CICERONE adduci poſſent ad huius argumenti illuſtrationem.* Hoc tantum monendum hic video, GY-  
THERIVM <sup>p)</sup> erraſſe, quando pronunciauit, per adoptionem ſacra familiae mutata non fuiſſe, ſed eum, qui in adoptionem datus ſit, tam in familia patris naturalis omnia retinuiſſe iura, quam familiae adoptiuae ſacra fuiſſe. Quomodo enim CICERO Clodium accuſare potuiſſet, quod ſacra Clodiae gentis

ſentur. HERMOGENIAN. *z. l.*  
22. de verb. ſignif.

m) Diſtorum ſactorumque  
memorabilem Lib. VII. Cap. VII.  
de Teſtam. reſciſ. p. 299. conf. Ant.  
SCHVLTINGII Diſſ. ſingul. ad  
hoc caput, quae Edit. TORRE-  
NIANAe ſubiunſta eſt.

n) Lib. XLV. Cap. 40.

o) in Orat. pro domo Cap. XIII.  
pag. 428. Tom. II. P. II. orat. Edit.  
GRAEV.

p) Lib. II. de veteri iure pon-  
tif. Cap. V. pag. 81.



tis interire fuisset passus, quod sacra paterna amisisset? Quomodo apud LIVIVM e quatuor filiis duo isti tantum, qui domi fuerunt retenti, heredes paterni nominis, sacrorum familiaeque dici potuissent?

## §. XIV.

Idem agebatur in arrogatione, quando is, qui sui iuris erat, ab alio in filii locum adscisciebatur. In eo enim arrogatio et adoptio differebant, ut in illa homines qui sui et in nullius potestate erant, in hac autem, ii, qui in patria potestate adhuc erant, adoptarentur. Effectus arrogationis idem plane erant ac adoptionis. Hinc arrogati aequae ac adoptati nominis pecuniae et sacrorum constituebantur heredes. Arrogari nemo poterat, nisi qui iam vesticeps esset, i. e. ut FESTVS<sup>a)</sup> loquitur, qui pubertate vestitus et maior quatuordecim annis esset. Curatius quam in adoptione, in arrogationis rationem inquirebatur, multaque requisita hic erant probe attendenda. Non temere enim nec inexplorate eas committi GELLIVS<sup>b)</sup> tradidit. Sed diligentissime etiam in hoc actu de generum, dignitatum ac sacrorum ratione a pontificum collegio quaesitum fuisse constat, itemque consideratum, an non bona eius, qui arrogaretur insidiosae appetita essent. In Comitibus curiatis arrogatio semper peragenda erat,<sup>c)</sup> et auctoritate quidem Pontificum; <sup>d)</sup> eam ob causam, quia adoptivi fa-

F 2

cra

a) De Verbor. signif. Lib. XIX. pag. 60r. Contra *inuestis*, impubis dicitur, qui nec dum pubertate vestitus est, ut ex eodem FESTO, NONNIO, MACROBIO aliisque perspicuum est.

b) Noct. Attic. Lib. V. Cap. XIX. pag. 354.

c) Leg. XII. tab. constitutum erat: *de capite cuius nisi per maximum comitatum ne ferunto.*

CICER. de Leg. Lib. III. Per caput cuius autem non tantum vitam, sed et libertatem, civitatem familiaeque ius exaudiri debere docent ICI. Hinc TACIT. hist. Lib. I. Cap. 15. *lege curiata* eam factam fuisse dicit; *κατὰ νόμον κρησίου*. APPIAN. de bello civili III. *κατὰ νόμον τὸν Φερειανόν*. DIO CASS. Lib. XIV.

d) CICER. pro domo XIX. *Quid*



era suae familiae relinquebant, et ad alterius gentis sacra transferebant, sacrorum autem omnium cura ad pontifices spectabat. Interrogabatur vero et is, qui adoptabat, velletne, quem adoptaturus erat, iustum sibi filium esse? et vicissim is, qui arrogabatur, an id fieri pateretur? \*) Solemnis deinde rogatio sequebatur in comitiis curiatis, quando res omnes cognitae essent atque perspectae. Solemnem rogationis formulam apud GELLIVM<sup>f)</sup> inuenimus: VELITIS. IVBEATIS. QVIRITES. VTI. LVCIVS. VALERIVS. LVCIO. TITIO. TAM. IVRE. LEGE. Q. FILIVS. SIBI. SIET. QVAM. SI. EX. EO. PATRE. MATRE. Q. FAMILIAS. EIVS. NATVS. ESSET. VTI. Q. EL. VITAE. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. VTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HAEC. ITA. VTI. DIXI. ITA. VOS. QVIRITES. ROGGO. Quod si annuisset populus, et per suffragia ita iussisset, perfecta tunc dicebatur arrogatio, quae non ab interrogatione patris et filii adoptiui ita dicta videtur, ut nonnulli contendunt, sed a rogatione potius ad populum lata. Quod ipse GELLIVS<sup>g)</sup> confirmat.

## §. XV.

Romae tantum  
sacra priuata  
hereditatem  
sequebantur.

Omnibus itaque, quos inuenire potui, modis nunc expostis, quibus sacra priuata cum hereditate pecuniae coniuncta deprehenduntur, hoc monendum iam venit, hanc sacrorum hereditatem Romae tantum fuisse secutam heredes, nec aliis in urbibus aut Italiae partibus obtinuisse. GVTherivs<sup>a)</sup> hoc me docuit.

*Quid? sacra Clodiae gentis? cur intereunt quod in te est? Quae omnis notio pontificum, quum adoptaret esse debuit.*

e) CICER. pro domo Cap. XXIX. pag. 457. credo enim, quamquam in illa adoptione legitimum factum est nihil, tamen te esse interrogatum: AVCTORNE ES-

SES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VTI IN FILIO?

f) Noët. Attic. Lib. V. Cap. XIX.

g) loco citato.

a) De iure pontificio Lib. II. Cap. V. pag. 82. D.



docuit. „At vero vt patria potestas et arrogatio propria ciuium Romanorum fuit, sic sacra heredem Romae tantum sequebantur. Nam si quis est mortuus Apinatis (dicebat Cato Censorius originum secundo) eius heredem sacra non sequebantur.„ Inde autem hoc euenisse auguror, quia ius sacra priuata habendi ad antiquum ciuium Romanorum ius pertinebat, quo soli tantum ciues Romani frui poterant. Constat enim inter omnes, triplex in Romana olim republica obtinuisse ius, aliud ROMANVM seu Quiritium, quod quam maximis gaudebat priuilegiis et ad ciues Romanos tantum spectabat; aliud LATINVM, quod proxime ad ciuitatis Romanae praerogatiuam accedebat, cuiusque Latii tantum incolae socii erant; et aliud denique quod minimis gaudebat priuilegiis et ITALICVM vocabatur, quod omnibus, praeter Latium, in Italia habitantibus et imperio Romano addictis, commune erat. <sup>b)</sup> Iam quemadmodum Deorum peregrinorum et exterorum cultus Romae a priuato minime, et non nisi autoritate publica, quod supra vidimus, introduci poterat; <sup>c)</sup> Sic nec Indige-

F 3

tum

b) Haut paucos egregios de hac re edidisse commentarios, Illustri BEINECCIVS append. Lib. I. antiqui. Rom. Cap. I. pag. 262. not. (a) obseruauit: CAROLI SIGONII et EZ. SPANHEMII aeterna atque excellentissima opera nemini ignota sunt. His addendi ALEX. ab ALEX. Genial. dierum Lib. IV. Cap. X. ONVPHR. PAMVIN. de Imp. Rom. V. SELDEN. de Syne. II. pag. 62. Henr. DODWELL. prael. Cambd. pag. 194. Petr. Ios. CANTELIVS de Republ. Rom. pag. 208. De iure Italiae peculiari Dissertatione commentatus est Celeberrimus Chri-

stian. Gottl. SCHWARTZIVS, insignae Academiae Altorfinae decus.

c) Si quis enim sua autoritate peregrina sacra Romam induxerat, a Senatu publica statim autoritate damnabatur, et ipse poenas luere debebat. LIVIVS Lib. IV. Cap. XX. pag. 378. Tom. I. XXV. C. I. T. II. pag. 406. Lib. XXXIX. Cap. 16. pag. 578. Tom. III. GYRALD. Synt. Deor. XVII. pag. 483. D. Tom. I. Oper. POTTERVS in Archaeologia graeca Tom. I. Lib. II. Cap. I. pag. 201. Editionis nouae Venetae, obseruauit: SOCRATEM ob nullum aliud crimen,



tum Deorum sacra quos Romani colebant extra urbem ad eos transferri poterant, qui Iuris sacrorum non erant participes; <sup>a)</sup> Quapropter si hereditas extra urbem Romanam alicui deferebatur, a sacrorum priuatorum appendice libera esse necessario illa debebat.

## §. XVI.

*Hereditas cum  
sacris erat  
onerosa. Quid  
sine sacris he-  
reditas?*

Ex his omnibus, quae de sacrorum hereditate fufus hucusque abs me dicta sunt, vnusquisque statim cognoscat, istam sacrorum adstrictionem rem haut parum onerosam fuisse. Hinc CICERO <sup>a)</sup> eiusmodi onus, *molestiam sacrorum* vocauit, et a FESTO <sup>b)</sup> haec sacrorum hereditas *incommoda appendix* dicta fuit. Qua de re etiam OVIDIVS: <sup>c)</sup>

*Ve*

men, quam ob Deorum peregrinorum cultum, morte damnatum fuisse, prout in eius vita scribat LAERTIVS. Obiici quidem posse, dicit, Athenienses tanta cum religione ab vilo Deorum negligendo cauisse, vt teste PAVSANIA in Atticis altaria Diis ignotis erexerint. Regeri tamen posse arbitratur, etsi nouorum Numinum religione arsisent Athenienses, atamen nullum illorum sacro cultu decoratum fuisse, nisi prius ab Areopagitis probatum sancitumque fuisset, vt notauerit HARPOCRATIO VOC. *ἐπιθεῖς ἐοργῶς*. Illustrat hoc exemplo D. Pauli, qui cum IESVM, eiusque resurrectionem annunciaffet; ad illud Concilium citatus sit, vt de noua doctrina, quam proferebat, ratio nem redderet.

d) FESTVS hanc ob causam, de verborum signif. Lib. IX. pag. 190. Indigetes Deos dixit, quorum nomina vulgari non licet. Sic factum fuisse opinor, data opera Penatum vrbis Romanae nomina ignota esse voluisse veteres, eo nimirum sine, ne in incantationibus et obfessionibus euocarentur. Hinc plerique existimant, vrbis ipsius nomen latinum, quod a numine in cuius tutela erat, sine dubio accepisset, celatum fuisse. Nomen *Roma* enim, Graecam non Latinam sonare linguam non sine veritate defendunt. conf. DODWELLI praelect. Camden. in appendice pag. 695.

a) De Legibus Lib. II. Cap. XX.



*Vt Deus accedat coelo, templisque colatur,  
Tu facies, natusque tuus, qui nominis heres  
Impositum feret onus.*

Et nullus sane dubito, multis hereditatem cum sacris coniunctam onus admodum graue fuisse. In sacrificia enim, epulas et sacerdotes haut exigui sumtus erant faciendi. Ex Seruitorum exemplo hoc patet, qui PLINIO<sup>d</sup>) teste, *magna cum magnificentia* gentilitia sacra exhibuerunt. E contra autem ea demum hereditas grata et accepta erat, quae nullis obnoxia esset sacrorum sumtibus. Hinc parasitus ille apud PLAVTVM,<sup>e</sup>) fortunam suam atque felicitatem inopinatam descripturus, SINE SACRIS se HEREDITATEM adeptum fuisse statatur:

*Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies.*

*Sine sacris hereditatem sum adeptus effertissimam.*

Et alius iterum apud eundem<sup>f</sup>) senex ita loquitur:

*Coena, hac annona, est sine sacris hereditas.*

A variis varie haec SINE SACRIS HEREDITAS explicata fuit. Maxime autem mihi arridet ERASMI<sup>g</sup>) expositio, qui per bonum, quod praeter spem contigit, et quod nullum incommodum comitatur, eam interpretatus est. Eo magis haec explicatio confirmatur, quando FESTVM<sup>h</sup>) interpretem audire placet, qui ita quoque luculenter hunc loquendi modum explicauit: *Sine sacris hereditas, in prouerbio dici solet, sine vlla incommoda appendice, quod olim sacra non solum publica curiosissime*

b) De verborum signif. Lib. XVII, pag. 528. voce sine sacris hereditas.

c) Metamorphos. Lib. XV. fab. II, v. 714.

d) Lib. XXXIV. Cap. XIII.

e) Captiu. Act. IV. Scen. I, v. 8. pag. 283. Edit. TAVBMAN.

f) Trinum. Act. II. Scen. IV. v. 83. pag. 1334.

g) In adagior. chiliad. pag. m. 1953. TAVBMAN. in comment. ad loca PLAVTI citata.

h) de verb. signif. Lib. XVII. pag. 528.



*ssime administrabant, sed etiam priuata. relictusque heres, sic pecuniae, etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare, esset necessarium.*

## §. XVII.

*De modis hereditatem a sacris liberandi.*

De modis hereditatem a sacris liberandi exponendum adhuc restat. Vidimus multis hanc sacrorum hereditatem onus fuisse visum, quod eo magis ingrauescebat, si quando contingeret, ut plures hereditates cuidam obuissent. Omnium enim eorum sacra, quorum bona accepisset, in se suscipere et administrare necesse habebat. Quapropter in sequentibus temporibus inuentae sunt rationes, quibus hereditas a sacris posset liberari. Jurisperitorum calliditate et pontificum consensu factum fuisse inueni, ut hereditas a sacrorum molestia liberaretur.<sup>a)</sup> Hoc ipsum sacra alienare<sup>b)</sup> aut interimere dixerunt, absolute enim id dicere, tollere aut abrogare sacra, religioni sibi duxerunt, mitius dictum putantes, si *evphrasias* causa interimere aut perimere, i. e. interuentu emtionis alienare, dixerint. Communissime enim per coemptionem et venditionem imaginariam fieri solebat, quando bona per hereditatem acquisita liberarentur onere sacrorum. Heres enim senibus<sup>c)</sup> vendebat ea bona, quae sacris erant adstricta, venditione imaginaria, per aes et libram, (prius enim Romanorum temporibus, nullae fieri solebant venditiones, absque libra,

a) Huiusmodi Ictorum calliditatem notat CICERO in orat. pro Muraena Cap. XII. pag. 44. Tom. II. P. II. *Cum per multa, inquit, legibus essent constituta, ea Iuriconsultorum ingenii pleraque corrupta atque deprauata sunt. Sacra interire maiores noluerunt, horum ingenio senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt.*

b) Sic enim vocat CICERO in Oratore Cap. XLII. *An, quibus verbis SACRORVM ALIENATIO fiat, docere honestum est, ut est; quibus ipsa sacra retineri defendendique possint, non honestum?*

c) Interesse nonnunquam a se ne potius aliquid fieri, quam a iuvene MODESTINVS leg. XV. de fidei comm. libert. docuit.



bra, quia aere graui utebantur) addita stipulatione ut senes venditori bona, non ut hereditatem, sed ut rem singularem sacrisque liberam redderent. Rem accurate primus sic exposuit IO. FRID. GRONOVIVS <sup>d)</sup> ex subobscuro CICERONIS loco *pro domo* Cap. XII. quam sententiam calculo suo comprobavit IO. GE. GRAEVIUS. <sup>e)</sup> Alia ratione, cuius supra iam feci mentionem, hereditas a sacris liberabatur per deductionem, quae et deducta <sup>f)</sup> dicitur, itemque partitio, qua legatarius praestabatur immunis ab onere sacrorum. Centum enim numi deducebantur, vel a testatore in testamento, vel ab ipso quoque legatario, qui sacris adstringi volebat. CICERO

d) Lib. IV. de pecunia veter. Cap. VII. Subornabat heres, hominem senem tanquam grauiorem auctorem; ei, ut in legitima mancipatione, aduocato libripende ac testibus, vendebat hereditatem, non ut heredi, nec pro herede, (ut vendere solebat testator familiae emptori,) sed ut possessori alieno. Senex, dato dicitur causa, numo sestertio, eam coemebat, et non secus ac sectionis emptor et possessor, liberam eam, nullis adstrictis sacris, quasi suam faciebat: postea res in stipulationi deducebatur, et emptor ac dominus fiduciarius stipulato heredi quasi ex sponso eandem tradebat. Sic extinguebatur nomen heredis, et soluebatur hereditas, sicque dissoluebantur sacra hereditati annexa, et lucrosiore titulo possidebat, qui grauiore prius, ut heres

possederat. Coemptio autem illa imaginaria vim eandem obtinebat, quem in emancipationibus liberorum.

e) In notis ad Ciceron. orat. pro Muraena Cap. XII. pag. 44. Tom. II. P. II.

f) Ita legitur apud CICER. Lib. II. de Legg. Cap. XX. *Si in testamento deducta scripta non sit, ipsaque minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur.* Vbi TURNEBVVS deductam interpretatur per deductionem, ut remissam pro remissione, dixerit CYPRIANVS, et ut missa pro missione, in re diuina usurpetur. Sic similiter offensae pro offensione, contenta pro contentione dici, MEVRSIVS obseruauit in Critico Arnobiano, Cap. XIII.

G



RO<sup>g</sup>) perspicue admodum hanc rem descripsit. His perimendorum sacrorum modis GVTHERIVS<sup>h</sup>) *testamenta per aes et libram* addidit, quae fiebant inter testatorem et emptorem familiae, quando nimirum emtor, tanquam heres hereditatem ipsam emebat. Quinque testes puberes requirebantur, eiusdemque conditionis libripens. Qualis autem differentia inter coemptionem et testamentum per aes et libram fuerit, accurate definiti non potest. Hinc multi eruditorum ut GVTHERII sententiae subscriberent non potuerunt induci. Sunt praeterea adhuc quidam, qui quartum modum liberandi a sacris hereditatem, addant, nempe *detestationem sacrorum*. Hanc sententiam fuit IOSEPH. SCALIGER, i) quando inquit: *Sacra denique perimebantur detestatione sacrorum, quae solemnibus verbis calatis comitiis celebrabatur*. GELLIUS *Lib. XV. iisdem comitiis, quae calata appellari diximus, et sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant. Quare et Seruius Iurisconsultus scripsit librum de sacris detestandis, ubi de iure testamentorum disputabat*, GELL. *Lib. VI. Cap. XII.* Huic sententiae adstipulatur THYSIVS, k) falso autem GVTHERIO eadem tribuitur a GRAEVIO, l) cum hic disertis potius verbis neget, m) se inter sacrorum perimendorum modos reci-

g) Lib. II. de legibus Cap. XXI. Placuit P. Scaeuolae et Cornuciano, Pontificibus maximis, itemque ceteris, qui tantundem caperet, quantum omnes heredes, sacris alligari. Habeo ius pontificum. Quid huc accessit, iure civili? Partitionis caput, scriptum caute, ut centum numi deducerentur. Inuenta est ratio cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cauere nolisset, admonet iurisconsultus,

hic quidem ipse Mutius, Pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. h) de iure pontif. Lib. II. Cap. VI. pag. 84.

i) in notis ad FEST. Lib. XIV. v. *puri*.

k) in notis ad A. GELL. Lib. VI. Cap. XII. not. 2. p. 383.

l) in prolegomenis ad Tom. V. Thesauri Antiquit. Rom. (2<sup>a</sup>) 4. *libro de iure pontif.*

m) de veteri iure pontif. G. I. pag. 86. C.



pere facrorum detestationem. Magis tamen mihi placet eorum opinio, qui contrariam viam ingressi, detestationem cum GRAEVIO<sup>n)</sup> pro modo habent sacra priuata ad heredes et legatarios partarios transferendi; aut cum Celeberr. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIO<sup>o)</sup> autumant, detestationem fuisse ipsam sacrorum consecrationem, teste et consentiente populo, solemnique ritu, factam. Vtri sententiae subscribam suspensus sane haereo. De eo tantum ambigendum non esse puto, detestationem ex SCALIGERI sententia, non fuisse modum liberandi a sacris heredes. Ipsum enim vocis etymon obstat. Praepositio scilicet DE, quando componitur cum verbis non negatiue semper, sed intensiue potius saepissime explicanda videtur.<sup>p)</sup> Itaque detestari idem notat ac valde testari. Apud MONTEFALCONIVM<sup>q)</sup> aenea tabella occurrit, quae ritus, quibus consecratio aut detestatio perficiebatur, exponit, quam multis etiam verbis explicauit doctissimus auctor. SCHWARTIVS hanc explicationem dissertationi suae, de sacrorum detestatione, subiunxit, qui et tabellam dissertationi suae praefigendam curauit, et vtiq; conferri meretur.

§. XVIII.

Et haec sunt, quae de religionis priuatae, cuius tam tenaces se exhibuerunt Romani, superstitiosa hereditate exponere pro virium mearum tenuitate potui. Vt immorigeros et praecepta diuina vilipendentes Israëlitas rubore olim suffundebat potentissimus, qui in coelis est, IEHOVA, dum per Ieremiam Rechabitas, a paternis constitutionibus ne transuersum quidem vnguem recedentes, ipsis ob oculos poni curabat:

*Conclusa.*

n) in praef. ad Tom I. et V. Theauri eius.

o) in exercitatione academica ex antiquo Romanorum iure de detestatione sacrorum, quae Altorffii 1726. prodiit, et auctior refula fuit ib. 1729.

p) Similiter DE augendi vim addit in verbis deamare, demirari, debacchari, dehiscere, deprecari, defatigare.

q) In Supplement des antiquites expl. Tom. II. pag. 68.



rabat: \*) Sic optarem, vt studiosa haec, quae apud Romanos obtinuit, sacrorum paternorum obseruatio pudorem excuteret istis omnibus, qui cultum Summo NVMINI debitum nullis iam amplius ceremoniarum molestiis irretitum, aut profusus non aut parcius saltem exhibent. Et vt horum circa sacra industriam intuentes, animo sibi serio proponant, maiori in posterum, quam huc vsque fuerunt, pietate cultum DEO debitum exhibere. TIBI autem, aeternae DEVS, cuius sublimem veneror trinitatem, pro praefitis hucusque beneficiis gratias decerno deuotissimas. Fac, vt ad TE, qui fictitiis gentilium numinibus immensum praestas, magis magisque adducar! Fac vt vnicum semper sis desiderium meum, et nunquam intermorum solamen!

\*) Ierem. XXXV, vers. 2. fqq.

THESES SVPERIORVM IVSSV DISPVTANDI  
CAVSSA ADIECTAE:

- I. Theologia et philosophia sibi contradicere nequeunt ob principii identitatem.
- II. Cultum non tantum internum, verum etiam externum, variis ceremoniis constantem, Summo NVMINI necessario exhibendum esse, ratio docet.
- III. Benedictus a SPINOZA atheis iure annuncratur.
- IV. Duo, quae necessario existant, esse nequeunt.
- V. Libertas hominum in facultate ex aequo possibilibus id, quod optime placet, eligendi consistit.
- VI. Voluntas intellectum sequitur.
- VII. Conscientia hominum imperio subesse non potest.
- VIII. Physica sine mechanica recte addisci nequit.
- IX. Elementorum numerum definire non possumus.
- X. Aquae etiam vis elastica inest.
- XI. NEWTONI sententia de coloribus maxime probabilis esse videtur, qui docuit, eos non esse in corporibus, sed tantum in varia reflexione et refractione a corporibus facta consistere, hancque refractionem a corporum partium situ et nexu pendere.

\* \* \*











ULB Halle  
003 935 574

3




Sb.

VD 18











99.

6

1738, 26.

EX HISTORIA ROMANA  
DE  
**HEREDITATE  
SACRORVM PRIVATORVM**

CONSENSV  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
D. XVI. APRIL. MDCCXXXVIII.  
H. L. Q. C. PVBLICE DISPVTABVNT  
PRAESES  
**M. CAROLVS CHRISTIANVS  
W O O G**  
ET RESPONDENS  
**IOANNES FRIDERICVS WVNSCHOLD**  
CVRIA - BARVTHINVS  
S. S. TH. C.

LIPSI AE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

